tentia tamẽ Innocen. magis recepta eſt, eamque etiã idẽ Panormit. multis in locis approbauit, maxime vbi datur opera rei licitę, vt teſtatur Syluester *in ſumma, in dicto verbo aduocatus, n. 16.* loquens in propriis terminis noſtris, de aduocato, in quæſtione, quam modo figurauimus: vbi ampliat, etiamſi iſte aduocatus eſſet imperitus, & affirmaſſet ſe peritum, ſi † tamen clientulus cognoſcebat ipſius imperitiam. Nos enim loquimur quando aduocatus erat peritus aliàs, & aliam cauſſam iniuſtam per ignorantiam defendit. Eandem ſententiam tenuit idem Syluester *dicto numero quinto*, & eam ſupradictã ampliationem ſequitur plures allegans, inter quos eſt Gregor. Lopez Burgos de Paz vbi ſupra, *numer. 214. & Soto etiam vbi ſupra, in poſteriori concluſione, & ante eos Sanct. Thom. vbi ſupra* Hoc † tamen eſt intelligendum de ignorantia excuſabili, non verò craſſa & culpabili, puta, ſi adhibuit omnem diligentiam ſibi poſſibilem, quia ex contingentibus nihil omiſit nec quod potuit & debuit, prætermiſit, vt ſentiunt S. Thom. Soto, & cæteri ſupradicti. Addit † tamen Caietanus *ſuper Thom. vbi ſupra* ignorantiam hoc caſu excuſare quando eſt caſu actus, & non eſt peccatum, ſcilicet, quando ſi ſciuiſſet, non feciſſet: nam aduocati, qui omnino defendiſſent cauſſam, ſiue iuſtam ſiue iniuſtam, quamuis neſciant iniuſtam, non ex ignorantia, ſed cum ignorantia, quæ non excuſat, patrocinantur iniuſte, qui etiam non curant diſcernere & penetrare, an iuſtam vel iniuſtam cauſſam ſuſcipiãt, manifeſte negligunt ſcire, quod tenentur: qui autem ex contingentibus nihil omittunt, tuti incedunt, etiamſi errent, Hæc Caietan. Quod & tenent plurimi relati per Burgos de Paz *vbi ſupra, numer. 215.* Facienti enim quod in ſe eſt, Deus non denegat ſuum auxilium, nec poteſt dici eſſe in culpa qui omnem ſibi poſſibilẽ tanquam homini diligentiam adhibuit in cognoſcendo iuſtitiam, vel iniuſtitiam cauſſæ, & ſibi videtur iuſtam eſſe. Homines enim ſunt, non Dii, & tanquam homines facile errare poſſunt. Exiſtimo autem ego proprie rectæ conſcientiæ cuiuſque relinquendum vtrum ſufficientem in hoc diligentiam adhibuerit, necne: nam cõſcientia mille teſtes: ſi autem male iudicauerit, ſe ipſũ decepit. Quare aduocatos in hoc admonitos eſſe velim, vt maxime caueant, ne incidant in laqueum diaboli, paruam diligentiam adhibendo, iudicantes ſufficientem, vt labori parcendo pecuniis impleantur. At quid prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur: animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?

SVMMARIA.

1 *Aduocatus, qui viſis iuribus vnius partis, eidẽ ſpẽ dederit patrocinandi pro ea, ſi poſtea eadem pars renuerit iuſtum illi præſtare ſalarium an poterit pro contraria parte patrocinari & num. ſequentibus reſoluitur affirmatiue cum Paulo, & quomodo id intelligatur.*

2 *Quod procedit, etiamſi vna pars tentaret aduocatum & eidem ſecretum panderet, vt in cauſſa illa pro contraria parte aduocare non poſſet.*

3 *Limitatur tamen precedẽs reſolutio, quando aduocatus cœpiſſet iam aduocare pro prima parte.*

4 *Quanda vna pars aſſumſit pro ſe omnes meliores aduocatos, iudex ad inſtantiam alterius partis poterit cõpellere aliquos eorum dimittere illam partem, & aſſumere aduocationem & defenſam pro altera.*

5 *Aduocatus qui primo conſuluit pro te, non poteſt in ea cauſſa aduocare contra te, niſi ex alia cauſſa, vel fundamento quam tacto in ſuo conſilio.*

6 *Aduocatus contra aliquem de iure reſpõdens, poteſt aduerſarium adiuuare: conſulitur tamen, vt id fiat, præcedente mandato iudicis.*

L. 17. tit. 16. lib. 2. Nouæ Collect. Regiæ.

QVÆSTIO XXX.

QVæro circa *l. 17. eiuſdem titu. De los abogados*, ibi: *O ſi ſe hallare ayudar, o aconſejar à ambas las partes contrarias en el meſmo negocio.* † quid ſi vna pars oſtenderit iura ſua aduocato, quibus viſis aduocatus ſpem dedit patrociniũ ſe ei præſtiturum in illa cauſſa ſi poſtea pars renuerit iuſtum illi præſtare ſalarium, an hoc caſu aduocatus poterit pro altera parte contraria patrocinari? Cui quæſtioni anſam præbet dubitandi noſtra lex in verbis ſupra relatis & aliæ plures, tã de jure communi quam Regio idem probantes: tum & ſecundo, quia cum prior pars oſtenderit dicto aduocato iura ſua & merita cauſſæ, forſã occulta reuelauerit, impoſſibile videtur, quod abſq; labe prçuaricationis poſſit pro cõtraria parte conſulere vel patrocinium præſtare, maxime cum ſpem dederit priori parti. Nam quod iuſtũ ſalarium ſibi non ſoluatur, quamuis debitum ſit, non liberat à prædictæ præuaricationis crimine, cum receptio illius non ſit de ſubſtantia, vt præuaricatio committatur adiuuando aduerſam partem, ſed tantum adiuuare diuerſam partem, prodita cauſſa ſua, *vt in l. 1. ff. de præuaricat.* & quamuis ſtatim lex illa dicat: *Cæterum aduocatus, non proprie præuaricator dicitur l. tamen colum. 2. titul. 7 part. 7.* eum præuaricatorem & falſarium appellat. Sed nihilominus contrarium decidit in noſtra quæſtione Paulus de Caſtro *in leg. final numer. 1. ff. de poſtulando* dicens, quod ſi per te ſtat, quo minus ipſe ſit aduocatus, quia non vis ſibi
2 ſoluere, bene poterit eſſe pro me, alias daretur materia cuilibet auferendi mihi aduocatos: nam quilibet aduocato ſuo oſtenderet iura ſua ad hoc vt nõ poſſet eſſe poſtea contra te: quam opinionem expreſſe ſequitur Doctor Azeuedo † *in præſenti, numer. 5 vbi num. 6.* ampliat idem eſſe, ſi vna pars tentaret aduocatũ & eidem ſecretum panderet, vt in cauſſa illa pro contraria parte aduocare non poſſet, quia hoc non obſtante, poterit contrariam partem adiuuare, ne dolus illius partis eidem patrocinetur ſecundum Montaluum & Florentinum, quos refert. Intelligi tamen vtrumque coactione iudicis præcedenti. Hæc opinio propter auctoritatem Pauli forte obtineret in praxi, ſed profecto in puncto iuris habere videtur difficultatem, propter rationes ſupra adductas in cõtrarium: præ maxime quia fundamentũ Pauli procedit data fraude, ſcilicet, quando pars oſtenderit iura ſua omnibus vel præcipuis aduocatis curiæ ciuitatis vel oppidi, animo auferẽdi bonos aduocatos aduerſæ parti: quo caſu conſtito: hoc haberet recte locum opinio Pauli. Item & procedere poſſet eadem, quando aduocatus non explicite nec ſigillatim promiſiſſet illi parti ſe patrociniũ pro ea pręſtaturum, nec ita exacte iura illius examinauit, nec dixit cum ſtudio & deliberatione illum fouere iuſtitiam, ſed ſimpliciter audiret partem, eiuſque iura & inſtrumenta videns ſpem dediſſet patrocinandi pro ea: quia tacite intelligitur, ſi ſibi debitum ſalarium ſoluatur, alias enim non tenetur, maxime ſi expreſſe promiſſum fuit & non ſoluit. Verum ceſſante prædicta fraude,
5 quando vni vel duobus oſtendit pars iura ſua, & remanent alii præcipui aduocati, qui poſſint patrocinari pro contraria parte, vel quando audiuit ſecreta prioris partis, & conſilium cum deliberatione in ſuum fauorẽ dedit, illique promiſit patrocinium ſuum præſtare, nõ videtur quod hoc caſu opinio Pauli de iure procedere queat. Quod ſi iterũ replices, recte facere aduocatum contrariam partem adiuuando, quandoquidem à prima ſalarium debitum non fuit ſolutum, libenter

ter reſpondebo, conſultum eſſe aduocato, iudicem adeundo, vt compellat partem ad ſolutionem debiti ſalarii ſibi faciendam: imo & meo iudicio, iuſtum quoque intereſſe poterit petere, ſi aduocatus poſtquam aduocare cœpit, aperte derelinquatur ſine cauſſa, & pars aduerſa eum requirat, vt pro ſe patrocinetur; idque recuſet propter prius conſilium vel patrocinium alteri parti derelinquenti eum, præſtitum.

Sed nihilominus opinio Pauli in ſuis terminis, quibus loquitur, recte de iure procedit; quia aduocatus nondum cœperat patrocinium præſtare, ſed tantum ſpem dedit: quod tamẽ intelligitur, ſi ſibi ſalarium ſoluatur: ſed cum eidem non ſoluatur, aduocatus remanet liber à ſua promiſſione, nec pandit ſecreta vnius partis alteri, quia hoc eſſet iniquum factum aduocati, & videtur pars, quæ oſtendit illi aduocato iura ſua, & poſtea non vult illi debitum ſalarium præſtare, eſſe in dolo & fraude aduerſus ipſum, vnde ſibi patrocinari non debet ex regula iuris vulgari: dum tamen intelligamus, aduocatum bonam atque iuſtam cauſſam poſtea exorare, aliàs enim teneretur in vtroque foro ad reſtitutionem damnorum, præter reatum peccati mortalis, vt prædixi in quæſtione pręcedenti. Limitari † ta-
3 men debet opinio Pauli, quando aduocatus cœpiſſet iam aduocare pro prima parte: quia tunc non poteſt pro altera contraria patrocinari, per hanc noſtram legem Regiam: quod nec in diuerſis inſtantiis licet, *vt in leg. 13. huius tituli*, & ita tenent Doctores ſecundum eundem Paulum *in leg. in fin. ff. de poſtulando.* Sequitur aduerſus alios Burgos de Paz *in proœmio legũ Tauri, nu.* 410. Ac quidem licet hæc ita de iure procedant: ego vero, vt libenter quod facerem, dicam, nec etiam in caſu Pauli adiuuarem alteram partem, ſi tamen aliquis id fecerit, in ſui fauorem & defenſam habet doctrinam Pauli & ſequacium ſic iure probatam, vt ſupra eſt dictum.

4 Ex quo † dicto Pauli inferri videtur, quod ſi vna pars aſſumſit pro ſe omnes meliores aduocatos, iudex ad inſtantiam alterius partis poterit compellere aliquos eorum dimittere illam partem, & aſſumere aduocationem atque defenſam pro altera. Quia etſi iam ſemel ſe aſtrinxerit ad aduocandum pro diuerſa parte, nihilominus tamen, ne alias auferatur copia defenſionis alteri parti, & quia videtur fraude & malitia non carere, qui omnes meliores aduocatos aſſumſit pro ſe, auferendi aduocatos & ſic defenſionem alteri parti, tenendum eſt quod prædixi ex text. *in l. prouidendum, in fin. Codic. de poſtul. vbi hoc expreſſe tenet Paulus Caſtrenſ. ſtatim in principio contra gloſſam* ibi: quod verũ eſſe intelligo, niſi ipſi aduocati quos dimittere primam partem contenditur, recuſent abſque fraude illam relinquere, & alteram iuuare, aſſerentes priorem partem habere iuſtitiam, alteram vero minime, ſeque cum bona conſcientia minime poſſe pro ſecunda patrocinari: tunc equidem ceſſante prædicta fraude & iuramento præcedenti, ſuper hoc prædictos aduocatos non compellerem, vt priorem partem iuſtitiam fouentem dimittant, ſecundam vero ea carentem adiuuent.

5 Ex eadem † radice decidenda illa quæſtio videtur, an ſi aliquis aduocatus primo cõſuluit pro te, nunc in illa cauſſa vult eſſe meus aduocatus cõtra te, id poſſit facere & gl. *in dict. l. fin. ff. de poſtuland.* innuit quod ſic. Sed Ioan. Andr. *ad Speculum, eodem titul. §. nunc*, quem refert & ſequitur Paulus *in dicta l. fin. num 3.* dicit quod nunquã ipſe hoc faceret, niſi ex alia cauſſa vel ex alio fundamento (intelligi ſufficienti) quam tacto in conſilio ſuo. & hæc eſt veritas ſecundum Paulum *vbi ſupra conferunt tradita per Burgos de Paz, in l. 1. Tauri nu. 64. & ſequentibus.*

Infertur † etiam ex ſupradictis, quod aduocatus 6
contra aliquem de iure reſpondens, poteſt aduerſarium abſque dubio patrocinio ſuo fouere, quia hic ceſſat ratio noſtræ legis & ſimilium. Et probatur præterea *in capit. diſciplina. 45. diſtinct* & tenent nuncupatim Reynerius & Albericus *in dicta l final. ff. de poſtulan.* ita intelligentes glo. ibi, & alii Doctores, quos refert Burgos de Paz *vbi ſupra, num. 644.* dicens, quod cum ipſe in quadam ſatis ardua cauſſa conſuluiſſet contra quendam ſtrenuum militem, & deinde aduerſarius à ſe ſæpius efflagitaret, & ipſe iuſte recuſaſſet, quia cauendum eſt ab hoc, tanquam ab igne, quamuis iure nõ ſit prohibitum: tamen præcepto dominorum Auditorum compulſus aduocatus fuit aduerſarii militis, & in cauſſa obtinuit, etſi prius contra ſuum conſilium fuiſſet iudicatum, & aſſerit hoc eſſe notãdum ad intellectum, *l. 8. tit. 19. lib 2. ordin & l. antepenult. conſtitutionem aduocatorum* quod nunquam facerem abſque pręcepto & mandato iudicis.

SVMMARIA.

1 *Aduocatus ab ſponte offerente ſine fraude recipiens vltra ſalarium taxatum à iure communi vel ſtatuto, an teneatur exceſſum reſtituere, reſoluitur negatiue.*

2 *Clientuli lite pendente, præſumuntur omnia velle dare propter timorem litis, ſicut infirmus propter timorem mortis.*

3 *Aduocatus renuens recipere plus debito ab ſponte offerente, parte replicante, vt recipiat, vtrum tunc licite recipere poſſit.*

4 *Aduocati qua ratione initio litium debeant pactionem facere ſuper ſalariis ſibi ſoluendis.*

5 *Finita lite poteſt aduocatus prius renuens inſtãte parte, aliquid vltra debitum recipere, ſed & lite etiam durante ſi aliquando vel ſæpius parti interroganti ſuper eadem re reſponderit, conſiliumque dederit abſque pretio, dum tamen non excedat iuſtam metam debiti.*

L. 21. titul. 6. lib. 2. Nouæ Collect. Regiæ.

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRO † *an aduocatus ab ſponte offerente ſine* 1
fraude recipiens vltra ſalarium taxatum à iure communi vel ſtatuto, teneatur exceſſũ reſtituere. Quæ quæſtio etſi iure communi controuerſa fuerit, quibuſdam exiſtimantibus) prout ſunt Innocent. *numero trigeſimo ſecundo, Anton, & Abb. in cap. quia plerique, de immunitate Eccleſiarum*) & aliis quod non teneatur, niſi ſalarium eſſet adeo immoderatum, quod iudex ex officio cogeret eum ad reſtituendum: Aliis vero (prout ſunt Cardinalis & Philippus Decius) contrariũ affirmantibus, niſi iuramentum interuenerit ſuper conuentione de ſoluendo maiorem ſummam à iure communi taxatam, ex quo oritur actio & obligatio de iure Ciuili & Canonico, vt latiſſime probat Guido Pape, *deciſione 19 per totam*, quas opiniones refert Tiraquell. *de nobilitate, cap. 29. nu. 38 & 54.* hodie tamen lege Reg. 21. in verſ. *Mas que el letrado no ſea oſado de lleuar mas*, ibi, *aunque de ſu volũtad ſe lo de la parte tit. 16. lib. 2. Noue Collect. Regiæ*, hæc quæſtio deciſa eſt. Et poſteriorum opinio eadem lege approbatur, nẽpe, vt nec ab ſponte offerẽtibus aduocatus vltra debitum ſalarium recipere valeat. Quam etiam opinionẽ hac lege non allegata tenuit Doctor Soto *libro quinto, de iuſtitia & iure, quæſtion. 8. articulo quarto, verſicul. quo circa, pagina mihi 465.* ea tamen ratione: nam etſi gratis auctiora illa pretia videantur conferri, nunquam tamen re-

2 vera conferuntur, niſi coacta voluntate. Cui † adde quod clientuli lite pendente præſumuntur omnia velle dare propter timorē litis, ſicut infirmus propter timorem mortis, *vt dicit gl. in l. quiſquis, § præterea C. de poſtuland. verb. contractum*, quam etiam opinionem per hanc legem probauit Doct. Couarru *in ca. quamuis pactum, 2 part. cap. 1. num. 7. de pactis, in 6. & Didac. Perez in l. 2. titul 19. lib 2. ordinament. colum. 665. verſ. at ſi quid in Iudice, Notario, Medico ſalario de publico & Aduocato ſalario à communitatibus, idem late probauit Auiles capit. per totum in gloſſ. Nilleuaran. per totam, folio 51. & Paz in ſua praxi, in initio 5. adnotatione, nu. 51. cum ſequentibus.*

3 Sed adhuc † dubitatur quid ſi eum aduocato ſponte offertur plus debito, ipſe dicat atq; declaret ſibi vltra debitum ſolui, & reddat parti reſiduum: at ipſa pars renuat recipere, inſtans vt aduocatus retineat: vtrum tunc aduocatus licite recipiat? Et videtur quod non, propter generalitatem huius legis, in verbis ſupra relatis. Rurſus videtur quod ſic; quia hoc caſu libera voluntas datur partis offerentis, & ſic videtur donatio, quæ non eſt prohibita, maxime ſi offerens nobilis vel diues ſit, cui dedecus videri debet rehabere, quod ſemel obtulit, vt in terminis tenet Doctor Azeuedo *hic num. 4.* Nihilominus prima opinio verior mihi videtur ex noſtra lege, quæ generaliter & indiſtincte loquitur, vt aduocatus etiam ab ſponte offerentibus plus debito non recipiat. Negari enim non poteſt, quin pars durante ſua lite non omnino ſua libera volūtate id offerat, ſed quodammodo coacta, vt aduocatum contentum gratumque habeat, vt hilari vultu eum ſemper admittat atque recipiat, & interrogationibus ſuis reſpondeat: qua ratione emanauit *l. 7. huius titul.* diſpo-
4 nens, † *Que los abogados hagan ſus y gualas y conciertos de ſus ſalarios, luego al principio de los pleytos, oyda la relacion de las partes: pero que deſpues que ouieren viſto ſus eſcrituras, y commençado à hazer peticiones o eſcritos, o otra coſa alguna en los dichos pleytes, que no puedan auenir ni ygualar ſus ſalarios con las dichas partes, porque ya eſtarian prendadas y neceſſitadas, y no ternian libertad de hazer la ygualа como les cūpliesse.* Quæ ſane legis ratio veriſſima, optimū præſtat noſtræ opinioni fundamentum & iuuamen, niſi hoc caſu euidenter conſtaret de libera voluntate datis eſſetque talis quis poſſet donare: ſi tamen finita lite omnino id fieret & aduocatus redderet, & adhuc pars in ſe rehabere nollet, tunc à ratione ceſſante videtur, quod ſit libera omnino voluntas offerentis dantiſque vltra debitum, ob bonam gratitudinem laborum præteritorum, & ſic quod aduocatus recipere poſſet. Sed ſi lite durante recipiat, adhuc excuſari poteſt, ſi aliquando vel ſæpius eidem parti interrogāti ſuper eadem re vel aliis, verbo, vel ſcripto reſpōderit conſiliumque dederit aduocatus abſque ſalario vel pretio. Nam ſolent ſæpenumero partes interrogare aduocatos ſuos verbo minutula quædam ſuper ſuis cauſſis ſine ſolutione mercedis, vltra libellos quos faciunt in prædictis cauſſis, pro quibus tantum ſolutio fit. Nam tunc poterit aduocatus ea omnia pecunia æſtimare, & ſi ſibi pro prædictis libellis, interrogatoriis, & viſu proceſſus vel iuris allegatione, verbo vel ſcripto facta vel faciēda, vltra debitum ſoluatur, illud reſiduum cōpenſare atque recipere pro reſponſionibus, quas verbo abſque mercede dederit ſuæ parti. Nam gratis id facere, nec reſpondere, nec conſilium præſtare tenetur, dum tamen pro vtroque non excedat iuſtam metam veri debiti: caueat tamen, ne cum ſit iudex in cauſſa propria, à recto deuiet. * Addit Paz vbi ſupra, *numero 53. cum ſequent.* quod finito miniſterio, poteſt aduocatus ſecura conſcientia aliquid vltra ſalarium oblatum recipere, & etiam durante miniſterio, quando leuitas muneris ſuaderet, quod ex amicitia & beneuolentia datū eſſet vt in munuſculo ad eſum aut potum: idemque probat in iudicibus & tabellionibus, ſic intelligens leges Regias prohibentes eiſdē ne aliquid etiam ſponte oblatum, vltra taxationem ſibi factam recipiant: quod ego verum iudico in eo, quod recipitur ſponte oblatum, omnino libere poſt actum perfectum, *ſecundum Couarru. vbi ſupra*, & non alias, niſi compenſando pro operis impenſis non ſolutis, vt prædiximus.

SVMMARIA.

1 *Aduocatus an licite poſſit petere ſalarium anni conuentum, in quo ſua pars nullas cauſſas habuit? Concluditur poſſe.*

2 *Aduocatus vltra ſalarium conuentum pro vno anno an plus petere poſſit, ſi ſuus clientulus plurimas cauſſas in illo anno habuerit.*

3 *Anocatus ſi propter infirmitatem ſuperuenientem non potuit poſtulare & habuit ſalarium, ita quod oportuit clientulum alium aduocatum aſſumere, non tenetur aduocatus prior ſalarium reſtituere quia per eum non ſtetit, & ideo non ſolutum exigere poterit.*

L.18.tit.16.lib.2.Nou.Collect.Regiæ.

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRO circa † leges Regias eiuſdem tit. agen- 1
tes de ſalariis debitis ſoluendis aduocatis, & præcipue, *l. 18. dict. titul* quæ probat: *Que todos los abogados deſtos Reynos ſe contenten de lleuar honeſtos y templados ſalarios por ſu trabajo, de los pleytos en que ayudaren. quid ſi aduocatus promiſit aduocare pro Titio per vnū annum, ſub ſalario conuento ſingulis quatuor menſibus, vel aliis terminis, & ille Titius nullas cauſſas in illo anno habuit an aduocatus licite petat ſalarium?* Et videtur quod non, quia omnes prædictę leges & aliæ iuris communis innuunt, iuxta laborem, facundiamque aduocati eſſe ſoluendum ſalarium. Si igitur Titius nullas cauſſas habuit, nec aduocatus laborem vllum impendit, videtur quod nullum ſalarium ſit eidem ſoluendum. Sed hoc non obſtante, contrarium eſt tenendum, imo quod hoc caſu licite & iuſte talis aduocatus petat & exigat ſalarium conuentum. Primo, quia non ſtetit per eum, *vt in l. fi. C. de cond. cauſſa data & l. qui operas, § fi ff. locati.* Ille enim paratus erat ex ſua parte adimplere promiſſum, hoc eſt, exercere ſuum officium aduocationis in cauſſis Titii, ſi ſibi offerrentur, quare ſi illas non habuit Titius, aduocato imputandum minime erit. Secundo, ratione vinculi obligationis qua aduocatus aſtrictus erat ad aduocandum pro Titio: quę quidem obligatio in habitu, licet ad actum non reducitur propter defectum cauſſarum, æſtimabilis eſt pecunia atque pretio: præmaxime cum aduocatus hic, cum ſuam fidem promiſerit pro Titio, non poſſit pro aliis contra Titium aduocare, ſicque priuatur ſua libertate ſpeque lucrandi aliis: potuit enim veriſimiliter contingere, vt melior conditio (hoc eſt, auctius ſalarium] ſibi ab aduerſis partibus offerretur, ſi pro Titio non teneretur: quę omnia conſiderabilia ſunt, atque æſtimanda pecunia, hoc eſt dicto ſalario, iuxta illud:

Non bene pro toto libertas venditur auro, &c.

Tertio, † hæc ſententia probatur, ſumto argumento 2
à caſu conuerſo: nam ſtāte dicta conuētione, ſi Titius plures cauſſas haberet, reſpectuſque earum & laboris in eis impenſi ab aduocato, exiguum atq; paruum eſſet prædictum ſalarium conuentum: poſſet ne, quæſo, advocatus hoc caſu maius ſalarium, condignum tamen expoſcere atque à Titio efflagitare? & minime poſſe, recta ratio poſtulat, & argumento ſacri Euangelii apud Matthæum *capite vigeſimo* comprobatur, ibi: *Amice non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conueniſti mecum? tolle quod tuum eſt, & vade.* Neo læſio conſideranda eſt reſpectu cauſſarum poſtea contingentium, vt reſtitutio detur, ſed attendendum eſt tempus conuentionis, quo incertum erat, an plures paucæve cauſſæ contingerent: quo dubio euentu attento, & ratione incertitudinis iuſtificatur conuentio & neutri partium competit reſtitutio, iuxta tradita per *Doctor. in l. . C. de pactis & in leg. de fideicommiſſo, per text. ibi. C. de tranſact.* Eodem igitur modo, ſi Titius nullas cauſſas habeat illo anno, quas aduocatus exoret, ſibi integrum ſalarium ſoluendum eſt: quam ſententiam in terminis noſtræ quæſtionis probat & ſequitur Matthæus de Afflictis, *in conſtitution. Regni Siciliæ, rubric. 82. de ſalario aduocatorum, num. 4. allegans Bartolus in l. 1. §. diuus, verſic. vlterius quæro, ff. de var. & extraord. cogni.* Sed Bartolus ibi loquitur, quando aduocatus mortuus eſt antequam aliquid fecerit, qui eſt diuerſus caſus: nihilominus tamen noſtram præfatam ſententiam poſt hæc ſcripta inuenio ſequutum fuiſſe Doctor Azeuedo *in l. 10. & ſequentibus, huius tit. 16. lib 2. Nouæ Collectionis Regiæ, num. 4.* & vidi iam conceſſas fuiſſe Regias literas in fauorem cuiuſdam procuratoris Curiæ Regalis, contra Concilium cuiuſdam oppidi pro ſalario conuento plurium annorum, quamuis eiſdem annis nullas cauſſas illius Concilii procurator egiſſet, quia non fuit ad id requiſitus, eo quod eas non habuit. Tandem concordia fuit inita ſuper hoc, inter procuratorem illum & Concilium. Non obſtant noſtræ leges Regiæ, quia loquuntur, quando aduocatus conducitur reſpectu vnius vel plurium cauſſarum ſpecialiter nominatarum tunc temporis occurrentium, quare merito, vt aduocati labor æſtimetur. Nos vero agimus, quando aduocatus conducitur ad annum vel annos ſub certa annua mercede vel ſalario, ad omnes cauſſas quas habet habiturusve eſt illo tempore pars: & ideo præſens dubius euentus illo ſalario conuento æſtimatur; non vero labor futurarum cauſſarum poſtea occurrentium.

3 Quinimo † exiſtimat Matthæus de Afflictis, *vbi ſupra num. cum Bartol. quem refert*, quod ſi aduocatus propter infirmitatem ſuperuenientem non potuit poſtulare & habuit ſalarium, ita quod oportuit clientulum alium aduocatum aſſumere, non tenetur advocatus ſalariatus prędictum reſtituere ſalarium, quia per eum non ſtetit, quem ſequitur Doctor Azeuedo *vbi ſupra num. 5.* qua ratione & non ſolutum exigere poterit eodem caſu aduocatus meo iudicio.

SVMMARIA.

1 *Decima exſecutionis non debetur, ſi debitor, cui fuit facta exſequutio pro debito, illud ſoluat intra diem naturalem, ab hora qua fuit facta exſequutio præfata, numerandum.*

2 *An ſufficiat ad euitandam decimam alia ſatisfactio, præter realem ſolutionem in pecunia numerata, nempe verbalis*, que el a creedor diga dentro de 24. horas, que ſe da por contento y pagado, *quamuis nec pecuniam, nec aliam rem acceperit: & numeris ſequent. reſoluitur affirmat. nu. 5.*

3 *Ablatiuus abſolutus importat conditionem ſecundum communem.*

4 *Conditio debet impleri in ſpecifica forma.*

5 *Voluntas domini excuſat à reſtitutione, ſi libere (hoc eſt) abſque fraude, nec coacte, vel metu debitoris donat, & interim pendente dilatione à domino conceſſa, immunem reddit debitorem.*

6 *Appellatione ſolutionis naturalis: venit numeratio tantum contra Iaſ. conſil. 9. nu. 9.*

L.13.titul.4.lib.3.Nouæ Collect. Regiæ.

QVÆSTIO XXXIII.

QVÆRO, † *l. 31. tit. 4. lib 3. Nouæ Collectionis Regiæ* 1
cauetur. Que queriendo pagar la parte antes que ſe paga la execution, aunque eſte pedida y mandada hazer, no pague derechos della ſaluo el camino y derecho del mandamiento executorio, y no otra coſa alguna. Idem probat *l. 8. tit. 21. lib. 4. Nouæ Collectionis Regiæ* ibi: *Que los alguaziles, &c.* Idem noſtra lege nuntiata reſpondet Auiles *c. 10. pratorum in gl. derechos n 2.* allegans Ferraram idem tenentem, & dicit ita practicari; ſed hodie in hoc habemus nouiſſimam legem generalem in curiis de Madrid, anni 1573. *petitione 32.* quæ ita ſe habet: *A eſto vos reſpondemos, que pagando el deudor dentro de vn dia natural la deuda porque le huuieren fecho execution, no ſea obligado a pagar decima por razon della, y el eſcriuano ante quien paſſare, aſſiete la hora en que aſſi hiziere la dicha execution, porque ſe vea y entienda quando ſe cumple, y a caba el dicho dia natural, ſo pena de pagar el danno à la parte, y que la tal execution ſea en ſi ninguna.*

An ad euitandam dictam decim, ſufficiat alia ſatiſfa- 2
ctio præter realem ſolutionem in pecunia numerata, puta verbalis, que el acreedor diga que ſe da por contento y pagado, intra dictas viginti quatuor horas, quamuis pecuniam, nec aliam rem minime receperit, ſed ad inſtantiā debitoris prædictam confeſſionem faciat: vt eū liberet à decima ſolutione? Et videtur quod hoc non ſufficiat, niſi ſolutio realis & numeratio naturalis interuenerit, vel ſaltem vera ſatisfactio in aliis rebus infra dictum terminum 24 horarum. Primo, quia lex dicit: *que pagando el deudor:* & hæc verba ſunt ablatiui abſoluti, (hoc eſt ſol-
uente creditore) qui important † conditionem, *vt in* 3
leg. à teſtatore, & ibi gloſſ. & Doctores ff. de conditionibus & demonſtrationibus, quam regulam per illum text. teſtatur eſſe communem, plures ampliationes & limitationes congerens Iaſon *in rubr. ff. ſoluto matrimonio, in ſecunda lectur. num. 10. & ſequentibus*, dicit communem alios allegans, & durum eſſe in practica ab ea recedere, *Rolandus à Valle conſil. 63 num. 37. lib. 4.* Condi-
tio autem † debet impleri in ſpecifica forma, *vt in leg.* 4
qui heredi, in principio, & in leg. Mauius, ff. de conditionibus & demonſtrationibus, per quæ iura hæc eſt communis opinio, ſecundum Antonium Gomez, *tom. cap. de legatis, n. 76. vbi late exemplificat. De quo late per Doctorem Couarruuiam in pract. q. c. 19.* Secundo per dict. *l. 18.* ibi: *Queriendo pagar luego de contado à la parte, o moſtrando carta de pago.* Tertio per text. *in leg. ſolutam, ff. de ſolution.* vbi inquit text. *ſolutam pecuniam intelligimus vtique naturaliter, ſi numerata ſit creditori. Quarto argum. text. in cap. 10. lib. 3. Nouæ Collect. Reg.* ibi: *Haſta que el duenno de la deuda ſea pagado, o ſe diere por cōten.* Nā ib. *ſer pagado to darſe por cōtento* ſunt diuerſa, & ideo interponitur dictio, *O*, tāquā inter diuerſa, quia *Si debaxo de ſer pagado ſe entendiera dare ſe par contento*, id nō exprimeretur in No. Coll. Reg. loco, *O*, ponitur, *Y* quæ eſt copulatiua, & ambo coniungit atque requirit. Rurſus idem probatur *in leg. 7. titul. 21. libr. 4. Nouæ Collectionis Regiæ*, ibi *Saluo ſiendo primeramente contento y pagado el acreedor de ſu deudor.* Quinto, quia huiuſmodi ſatisfactio, quæ non eſt realis, ſed verbalis ad effectum impediendæ decimæ, facta videtur in fraudem exſequutionis procurata & affectata,

quare valere non debet tanquam remedium affectatum, *argumento text. in §. item tria onera, de excuſatione tutorum Inſtitut.* ibi, *non affectata*, & iuxta late tradita de affectatis & procuratis per Iaſonem, *in leg. ſi ſeruus plurium, §. ſi quis ante, numero 5. & ſequentibus, ff. de legatis 1. & Felin. in cap. fin. de teſtibus, Cœpollam cautela 4. & Ripam in c. cum M. in fi. de conſtit.*

5 Sed his † omnibus non obſtantibus, meo iudicio contrarium eſt tenendum nempe, quod ſufficiat ſatisfactio quælibet partis, facta in d. termino, licet pecunia realiter nó ſoluatur nec alia res in ſolutũ tradatur. Primo, quia hæc eſt mens *d. l. noua*, quod non exigantur à debitore expenſæ decimæ, poſtquam debitum fuerit ſolutum: ſed creditor inquit, ſibi eſſe ſatisfactũ: ergo nihil amplius eſt exſpectandum nec inquirendũ eſt, cum via exſequutiua in ſui fauorem ſit introducta, & ſolutio debiti ſuo arbitrio ſibi eſt facienda, Secundo, *per text. in leg. ſolutionis verbo, 176. in ordine, ff. de verborum ſignifi* vbi inquit text. *ſolutionis verbo ſatisfactionem omnem quoque accipiendam placet*, idem probat, *l. ſolutionis verbum, ff. de ſolut.* dicens, *ſolutionis verbũ pertinet ad omnem liberationem, magiſque ad ſubſtantiam obligationis refertur, quam ad nummorum ſolutionem.* Tertio, *per text in leg. ſi rem, §. omnis, ff. de pignoratitia actione*, ibi: *Satisfactum autem accipimus, quemadmodum voluit creditor, licet non ſit ſolutum*, idem probatur *in l. item liberatur, in principio ff. quibus modis pignus vel hypotheca ſoluat.*

6 Quarto † facit, quia ſi domini voluntas excuſat à reſtitutione, ſi libere, hoc eſt, abſque fraude, nec coactione vel metu debitoris donatur, & interim pendente dilatione à domino conceſſa, immunem reddit debitorem, *iuxta regulam ſingu. in cap. non dimittitur peccatum de regul. iur. lib. 6 & ibi Doctores, gl. etiam in cap. quia fruſtra, de vſuris*, quam ſententiam late probat & declarat Nauarr in manua. *cap. 17. num. 45 & 75. & ſequent* & alii plurimi Theologi, eoſque referens Burgos de Paz *in procemio legum Tauri, num* 258. eodem modo, imo & à fortiori ſufficiet alia ſatisfactio, ad voluntatem liberam ipſius creditoris præſtita, præmaxime cum ſimus in pœnalibus & odioſis ad incurſionem euitandam decimæ, quæ vere eſt pœna, ob non ſolutum debitum principale. Non obſtant pro contraria parte adducta, & primo verba, *dict. l. noue de Madrid ſupra relata*, ibi: *Pagando el deudor, &c.* quia etiamſi in ſpecifica forma debeant adimpleri, quia ſunt ablatiui abſoluti, cum omnis ſatisfactio ſit ſolutio, vt in iuribus ſupra allegatis, ſatis adimpletur in forma debita. Eodem modo reſpondeo *ad dict. leg.* 18. Secundo non obſtat *dict. lex, ſolutam*, quia loquitur de ſolutio-
7 ne naturali; cuius appellatione venit † numeratio tantum, vt aduerſus *Iaſonem conſil. 9. num. 5.* cum reprehendens aduertit Octauianus *deciſione Pedemontana, 91. num. 18.* Non obſtat & tertium fundamentum contrarium, de quibuſdam legibus Regiis ſupra allegatis, vbi ponuntur copulatiue: *contento y pagado el acreedor.* Nam ibi ex abundantia potius & gratia clarioris intelligentiæ coniunguntur & multiplicantur dicta verba, ex vſu communi loquendi, quam vt diuerſitatem iuris inter ipſa eadem ſignificent: quod patet quia ſi non ſufficeret eſſe contentum creditorem de debito, & requireretur vera & naturalis ſolutio, fruſtra vel ſaltem ſuperflue adiiceretur verbum *contento*, & tantum diceretur, *Pagado el acreedor.* Imo & tunc eſſet opus adiicere *in pecunia numerata*, cum alias omnis ſatisfactio ſit ſolutio, *vt ſupra dictum eſt.* Quintum fundamentum etiam non obeſt, quoniam non poteſt dici fraude factum quod lege permittente ſit: licitum eſt enim vnicuique ſibi prouidere omnibus viis & modis à iure permiſſis, & præcauere ne incidat in pœnam: procurare autem, vt creditor confiteatur ſe eſſe contentum, non eſt prohibitum, ſed permiſſum à iure, cum tendat in libertatem creditoris, præmaxime quia mens & anima *dict. leg de Madrid* ea eſt, vt debitores releuentur à ſolutione decimæ eo caſu, quo creditores exſequutiones petentes ſint ſoluti vel aliter ſatisfacti de ſuis debitis intra diem naturalem: ipſi enim creditores ſunt partes principales in dictis ſuis cauſſis exſequutiuis, quibus ſublatis intra diem naturalem ſolutione vel alia ſatisfactione, qua ipſi contentos ſe eſſe dicũt, ceſſare debet & ius exſequutoris, quod eſt dependens à iure creditorum, nec oritur nec acquiritur exſequutori, niſi poſt lapſum dicti diei naturalis, ſolutione non facta debiti principalis: at vero ſatisfactio quælibet ad voluntatem creditoris, dicitur ſolutio, quæ pertinet ad omnem liberationem, & magis ad ſubſtantiam obligationis refertur, quam ad nummorum ſolutionem, *vt in iuribus ſupra allegatis*: & ita vidi iuxta hanc opinionem ſæpiſſime obſeruari in praxi. Quam poſtea expreſſe l. Madrititia approbatam eſſe relatum eſt mihi. Eſt in Curiis de Madrid. cœptis anno 1579. & finitis ann. 1582 cap 50.

SVMMARIA.

1 *Vicinus vel naturalis, an poßit eſſe locum tenens poteſtatis in ſua patria ad modicum tempus ex aliqua cauſſa? & numeris ſequentibus. Reſoluitur affirmatiue, num. 3.*

2 *Subrogatus debet eſſe eiuſdem iuris & conditionis, cuius eſt ille, in cuius locum ſubrogatur, & debet eſſe talis, qui à principio potuerit eſſe.*

L. 4. tit. 6. lib. 3 Nou. Collect. Reg.

QVÆSTIO XXXIIII.

QVÆRO † *circa leg. 4. titul. 6. lib. 3 Noue Collectio. Regiæ in principio*, ibi: *Que no tengan Alcaldes, ni Tenientes, ni Alguaziles que ſean vezinos, ni naturales de la tierra que lleuan à cargo*, *vtrum vicinus vel naturalis poſſit eſſe locum tenens poteſtatis ad modicum tempus ex cauſſa abſentiæ vel ſimili, prout communiter fit, quia iudices ſolent, cum abſunt, ad modicum tempus, aliquem aduocatum, ciuem, vel naturalem, ſuum locum tenentem conſtituere atque relinquere?* & videtur id non licere ex noſtra lege, ibi: *Ni tenientes.* quæ generaliter loquitur, & ſic generaliter debet intelligi hæc prohibitio ſiue ſit ad modicũ vel longũ tẽpus, ex cauſſa abſentiæ, vel non. Secundo † per dictum Baldi *in leg. Parabolani, C. de Epiſcopis & clericis* dicentis, quod ſubrogatus debet eſſe eiuſdem iuris & conditionis, cuius eſt ille, in cuius locum ſubrogatur, & debet eſſe talis, qui à principio potuerit eſſe dicens, hoc facere contra iudices & aſſeſſores iuſtitiariorum Regni: nam quando recedunt à prouincia, dum reuertuntur domum, in locum ſuum ſubrogant vnum de aduocatis, qui ſunt de eadem Prouincia: quod non poſſunt per illum textum: ſed ille de Prouincia non potuit eſſe à principio: Ergo non potuit ſubrogari: ſi igitur non tenet ſubrogatio, nec tenent quæ ſubrogati faciunt: idẽ dicit Lucas de Penna *in l. pen. C. de agentibus in rebus, lib. 12. & ſequuntur plures, eoſque referens Auileſius, in c. 4. pretorum, in gloſſ. tierra nu. 2. & 3 fol. 99.* 1 2

Sed his non obſtantibus, contrarium tenent in noſtra quæſtione Doctores, vt refert Ioannes de Platea. *in l. nullus apparitor, numero 2. C. de diuerſis officiis & apparit. iudic. & approbat. eorum, lib. 12.* nempe quod quis non poteſt eſſe locum tenens iudicis in prouincia ipſius locum tenentis, quia non reperitur de iure cautum de prohibitione locum tenentis: & quia non habet multum durare, *argument. l. ſi in eadem, ff. de officio aſſeſſorum, & aliorum iurium*, *quæ allegat & tenuit prius idem Baldus in leg. certa forma, C. de iure fiſci, libro, 10.* dicens, quod in ſubſidium poteſt ſubſtituere illum, qui eſt de prouincia, ſi neminem alienigenam inuenerit, qui velit eius vicem gerere, *argum. leg. generaliter, §. ſpurios, ff. de decurio, l. 1. ff. de officio aſſeſſorum*, vbi *Bald. in repet.* idem tenet, *referens Cynum & Guiliermum*: ſubſtituens enim in officio ſubſtituit ſuo periculo, *leg. ad ſimilitudinem, C. de Epiſcop. & cleric* ſequitur etiam Paris de Puteo *in tract. ſyndicatus, in parte, an ſubſtituens, num. 3. volum. 7, tractat. diuerſorum, fol.* 425. in qua opinione etiam reſidet, maxime propter obſeruantiam ita vetuſtiſſimam, quæ habet vim priuilegii, *Matthæus de Afflict. in conſtitutione Regni Siciliæ, rubr. 60. lib. 1. in conſtitutione, incipien. Magiſter Camerarii. numero, 10. fol.* 157. Eandem opinionem in terminis, quod vicinus, vel naturalis ad modicum tempus ex cauſſa abſentiæ vel ſimili poſſit eſſe locumtenens Poteſtatis, tenet Auend. *1. part cap. 3. pretorum, num. 5 in verſiculo vicinus autem*, vbi allegat Plateam & Afflict. vbi ſupra, idem probauit & tenet Auiles *vbi ſupra numero quarto*, dicens, quod ſi talis locum tenens in officio parum durat, poteſt ſubrogari, & valent geſta per eum, & quod ita aliquando vtitur, quod iſti ciues ponuntur in locum tenentes, quando in breui iudex eſt ſtatim reuerſurus: quia ad multos dies non poteſt ordinarius abeſſe, & ſi longo tempore abeſſet, deberet loco ſui ponere extraneum vel aliũ de licentia Principis: eandem ſententiam probauit nouiſſime Doctor Azeuedo *hic numero quinto*, & ita eſt tenendum, & vtitur quotidie, prout vidi ſæpiſſime fieri. Non obſtat noſtra lex, qua expreſſim prohibentur eſſe locum tenentes vicini vel naturales, & ſic videtur de iure Regio ceſſare ratio Doctorum tenentium hanc ſecundam partem: quia reſpondeo id procedere atque intelligendum eſſe reſpectu totius temporis officii poteſtatis, vel ad longum tempus: ſecus vero ad modicum ex cauſſa abſentiæ vel alia ſimili: quia cum difficile ſit vel nimis ſumtuoſum, inuenire extraneum, quem ſubſtituant, merito quod ex huiuſmodi iuſta cauſſa ciuis, vel naturalis poſſit eſſe locum tenens ad modicum tempus, & in hoc caſu limitatur noſtra lex: eodem modo reſpondeo ad doctrinam Baldi, *in leg. Parabolani*, vt hoc caſu non procedat. 3

SVMMARIA.

1 *Iudex poteſt facere compoſitionem ſuper pœna, in qua aliquem condemnauit, poſtquam ſua ſententia tranſiuit in rem iudicatam.*

2 *Sed an idem poſſit facere poſt ſententiam, à qua appellatum exſiſtit, num. 1. & 3. vbi diuerſæ ſententiæ referuntur.*

3 *Pro ſententia præſumitur, imo eſſe maximam præſumtionem pro iudice in his quæ iudicare potuit.*

4 *Reſolutio ponitur in quæſtione mota num. 2.*

L. 2. titul. 6. lib. 3. Nou. Collect. Regiæ.

QVÆSTIO XXXV.

1 QVÆRO † *circa leg. 11. eiuſdem tit.* ibi: *Y que en eſto non harar auenen cia ninguna por ſi, ni por otra perſona por ellos antes de dar la ſentẽcia, ſo pena que lo pagaran con las ſetenas, an poſt ſententiam, qua iudex condemnat reum in aliqua pœna ſibi applicata poſſit ſtam compoſitionem facere?* Et videtur ſine dubio quando ſententia tranſiuit in rem iudicatam, cum in re propria quilibet ſit moderator & arbiter, *vt in l. in re mandata, C. mandati, cum ſimilibus.* Si vero † reus appellauerit à ſentẽtia, videtur id non licere, cum per appellationem cauſſa reducatur ad eum ſtatum, in quo erat ante ſententiam, *vt in leg. 1. § fin. ff. ad Turpil. & in leg. 2. verſiculo finali ff de pœnis, & in l. 1. ff. nil nouari appellatione pendente, & in aliis pluribus iuribus congeſtis per Antonium Gomez in leg. 4. Tauri, num. ſexto*, ſed ante ſententiam fieri non poteſt hæc compoſitio, *vt in hac lege*: ergo nec poſt ſententiam, quando ab ea eſt appellatum.

Sed in contrarium facit. Primo, quia hoc non prohibetur per noſtram legem poſt ſententiam, ſed ante: ergo à contrario ſenſu: poſt ſententiam, licet ab ea fuerit appellatum, iudex poterit facere compoſitionem & tranſactionem cum parte condemnata à contrario ſenſu. Secundo, quia pro ſententia præſumitur, *vt in leg Herennius, §. Caia Seia. ff. de euiction.* ex quo † text. plures hanc regulam generalem deducunt, præſumtionem ſcilicet eſſe maximam pro iudice in his, quæ iudicare potuit, quos refert Menochius *de arbitra. iudic. lib. 1. quæſt. 76. num. 13.* 3

Tertio, quia eo ipſo quod agitur de concordia, & condemnatus aſſentit & vult ſoluere, videtur conſentire condemnationi aduerſus eum factæ, & ſicut ſoluendo totam condemnationem virtute ſententiæ, iudex eſt tutus, eodem modo, ſi vi concordiæ ſoluat partem *argument. leg. ad ſolutionem, C. de re iudicata*, quibus fundamentis hanc partem probauit Petrus Nunnez Auendanus, *1. parte capit. 18. pretorum, numero tertio, verſic. in caſibus tamen*, Auileſius autem *capitulo 11. pretorum* verbo, *Auenencia numero 2.* hoc intelligit verum, quando pœna in totum applicatur iudici: ſecus ſi pœna applicaretur partim Cameræ Regiæ, partim iudici, & partim accuſatori ſiue denuntiatori, quia tunc iudex etiam poſt ſententiam non poſſet compoſitionem facere in præiudicium fiſci, quia in re aliena nemo eſt moderator, niſi ſoluatur ſua pars Cameræ: iudex enim aliter faciens, colludere videretur, etſi receperit ſuam partem, priuſquam fiſco Regio ſoluatur ſua pars, teneretur iudex ſuam partem reſtituere cum duplo Cameræ Regiæ, ad idẽq. teneretur denuntiator, ſi ſuam partem reciperet antequam eſſet ſatisfactum Cameræ Regiæ, *iuxta pragmaticam 16. de Madrid anni 1552. in instructione circa modum exigendi las penas de Camera hodie l. 13. capitulo 16. titul. 14. libro ſecundo Noue Collectionis Regiæ. quam ibi refert Auiles*, exiſtimans eam habere locum, non ſolum in iudicibus ſupremis hoc eſt, *en Alcaldes de corte y Chancilleria*, in quibus loquitur: ſed etiam in aliis iudicibus huius Regni, quia eadem ratio in eis militat. Inſuper addit ſe credere, quod præter hoc pars ſoluens aliquid hoc caſu per concordiam iudici vel accuſatori, videtur acquieſcere ſententiæ, & ipſa tranſit in rem iudicatam & poterit exſequi etiam in fauorem Cameræ Regiæ: quia ſoluendo partem debiti, videtur totum agnoſcere, *vt in leg. cum fidem, C. de non numerata pecunia*, tametſi Auendanus, *vbi ſupra* videatur tenere adhuc hoc caſu licitum eſſe iudici ſuper ſua parte cum parte condemnata tranſigere, quibus verbis præſupponere videtur id procedere, etiam quando fiſco Regio applicatur altera pars pœnæ: quandoquidem inquit, licere iudici ſuper ſua parte tranſigere poſt ſententiam: ſed ipſius fundamenta tantum vrgent, quando ſententiam ſolum lata fuit in fauorem iudicis: aliàs enim incideret iudex, ſuam partem recipiens antequam fiſco ſit ſatisfactum, in pœnam dupli, *vt eſt dictum* & ita vidi cautos iudices præcauere, nempe cum pœnæ pars applicatur fiſco, vt ante omnia ſoluatur illa pars integra ſi ratione paupertatis moderetur vel alia iuſta cauſſa, & poſtea ex parte ſua faciunt remiſſionem aliquam ſiue compoſitionem cum parte condemnata.

Sed cum nihil in iure ſit inconcuſſum, vide quæ poſt hæc ſcripſit Modernus Ioannes Matienco, qui *in leg 5. gloſſ 1 num. 7. & ſequent. titul. 10. libro 5. Nouæ Collectio. Regiæ*, tenet in omnibus ſupradictis contra Auendanum & Auileſium, & ſic quod nullo modo in quæſtione noſtra fieri poſſit prædicta compoſitio: nam in pœnis fiſco applicatis & Cameræ Regiæ, non poteſt iudex ante, nec poſt ſententiam loco fiſci, & eius nomine compoſitionem vel tranſactioné facere cum condemnato, nec nomine denuntiatoris, cum mandatum eorum non habeat, nec nomine proprio iudicis pro ſua parte, ſi ab eius ſententia fuit appellatum, quia leges noſtræ ad exſequutionem pœnæ non ſolum exigunt ſententiam fuiſſe latam verum etiam quod tranſierit in rem iudicatam, quia poteſt à iudice appellationis reuocari vel moderari: ergo eadem ratione non poterit compoſitionem facere, in qua præſumtio fraudis ſemper adeſt: & præterea iudex, cui aliqua pœna per legem applicatur, non poteſt ſuam exigere partem antequam portionem fiſci exigat, ſub pœna dupli, *vt eſt prædictum.* Inſuper ſibi non placet *quod Auiles dixit*, nempe quod valebit tranſactio quoad partem iudicis & quo ad parté Cameræ vel denuntiatoris cenſebitur cóſensú præſtitum fuiſſe ſentétiæ, licet iudex in pœná *d. l. 13.* incurrat. Nam condemnationes recipiunt diuiſionem reſpectu perſonarum, quibus adiudicantur, nec portio vnius pendet ex alia. Quare ſicut ſi ſententia tranſiret in rem iudicatam, non poſſet vnus alteri præiudicare, componendo ſe pro ſua parte, ita nec etiam prodeſſe poterit, antequam ſententia tranſeat in rem iudicatá: quia tamen à ſententia eſt appellatum, tranſactioni locus non eſt, ſicut nec exſecutioni, *vt ibidem in dict. l. 13. Hactenus Matienc.* Poſt hæc ſcripta in lucem prodiit noua lectura Doctoris Azeued. in tres libros priores Regiæ Collectionis, qui in præſenti *num. 2.* late etiam probat hanc ſententiam aduerſus Auendanum, *vbi ſupra.* nullum alium referens. Quid tenendum?

Ego hanc † controuerſiam ita clarius reſoluendam
4 duxi *cum Auendano & Auileſ vbi ſupra, aduerſus ceteros nouiores* nempe, vt ſi tota pœna iudici applicetur per ſententiam virtute alicuius Regiæ legis vel ſtatuti, poſſit iudex, quamuis ab eius ſententia appellatum ſit, compoſitionem facere ſuper prædicta pœna rationibus prædictis: nec obſtát hoc caſu *dict. leg. 11. tit. 6. lib. 3. & l. 13. titul. 10. lib 5. Nouæ Collectionis Regiæ*, quatenus requirunt ſententiam tranſire in rem iudicatam: hoc enim exigunt leges illæ, prior ad hoc, vt exſequutio pœnæ fieri poſſit à iudice. Secunda, ad hoc, vt à Rege fieri poſſit gratia alicuius pœna fiſco Regio applicatæ vel applicandæ ſeu bonorum nomine Coronæ Regiæ petitorum. Antequam enim ſententia tranſeat in in rem iudicatam, prædicta gratia fieri non poteſt, quod & nos fatemur: at vero leges illæ concordiam fieri minime prohibent hoc caſu poſt ſententiam, antequam ipſa tranſeat in rem iudicatam, quinimo id permittere videtur, *dict. lex 11.* quandoquidem poſtquam prohibuit exſequutionem pœnarum, antequam ſententia tranſeat in rem iudicatam: ſtatim prohibet etiam ſuper eiſdem pœnis compoſitionem fieri ante pronuntiationem ſententiæ. Nota ergo, quomodo inter hæc duo expreſſim lex illa conſtituat differentiam, vt in priori caſu nempe reſpectu exſequutionis pœnarum requiratur, quod ſententia tranſiret in rem iudicatam: poſteriori vero, reſpectu compoſitionis, quod ſententia tantum ſit lata, nec hoc caſu, poſt ſententiam in compoſitione præſumenda eſt fraus: quod ſi iniqua ſit, nihil poteſt eligere: ſi autem æqua, vel eſt dubium, an iuſta vel iniqua ſit, bene poteſt tranſigere ſuper ea: quod intelligo etiam ſi denuntiatori ſimul hoc caſu alia pars pœnæ applicetur: nam iudex pro ſua parte tantum poterit compoſitionem facere cum condemnato.

Si vero in ſententia pars pœnæ applicetur parti, pars iudici, & pars Cameræ Regiæ, tunc ſi appellatum ſit ab ea, ſatiſfacto prius fiſco ſolutione ſuæ partis integræ, poterunt iudex & pars, quæ denuntiauit, paciſci ſuper ſuis partibus, & condemnatus, qui appellauit, ſuo iuri renuntiare, nempe quia exiſtimabat per appellationem reformandam eſſe ſententiam.

Si vero iudex ante ſatisfactionem fiſci exigat ſuam partem, vel minorem per concordiam, tunc incidet in prædictam pœnam dupli, & nihilominus videtur paritum ſententiæ condemnato reſpectu fiſci: quia licet pœnarum condemnationes recipiát diuiſionem cum tamen omnes partes hoc caſu vno ſententiæ capite contineátur, & ab vno facto, hoc eſt, delicto proueniant, quamuis reſpectu applicationis diuiſio fiat, condemnatus conſentiendo in partem ſententiæ, videtur in totum eidem conſentire, & hoc caſu factum condemnati ſibimet nocet, & fiſco prodeſt: quoniam intelligitur fateri crimen, qui paciſcitur *vt in leg. quoniam ff de his qui not. infamia, & in leg 5. tit. 6. part.* nec factum iudicis ſolum hoc caſu fiſco prodeſt, ſed etiam factum condemnati ſimul nec aliquid contradicit huic *dict. leg. 13.* cum alio diuerſiſſimo loquatur caſu, & ſic ceſſant omnia motiua Matientii, ſicut Doctoris Azeuedos quia modus, quo ipſe intelligit Auendanus minime comprehenditur mente nec verbis eiuſdem, imo ab ipſius opinione prorſus alienus eſt. Nec obſtat, quod ſi opinio Auendani vera eſſet, daretur occaſio perperam iudicandi, & c. Quoniam in iudice cum ſit perſona publica, & ad iuſtitiam miniſtrandam poſita, hoc præſumendum minime erit: quod ſi id facto contingat, reus erit gehennæ ipſe iudex, & pecunia ſua ſecum erit in perditionem, nec hoc caſu concordia eum ſaluabit, cum alia ratione Deum offenderit: nos enim loquimur, quando ſententia eſt iuſta vel eſt dubium, an ſit iuſta: tunc enim licita erit concordia, vt prædixi. Non etiam obeſt, quod cum noſtra lex loquatur de ſententia vltima, & ſic de ea quæ tranſiuit in rem iudicatam, intelligenda ſit tanquam potioris ſignificati: nam reſpondeo hoc procedere poſſe reſpectu exſequutionis totius pœnę contra voluntatem condemnati: tunc enim ad hoc requiritur, quod ſententia tranſierit in rem iudicatam: ſecus vero reſpectu concordiæ: quia tunc cum vtriuſque partis accedat conſenſus, & præſupponamus illius primæ ſententiæ iuſticiam, vel ſaltem ſit dubium, optime valebit prædicta concordia, *vt in dict. leg. 11.* quia hoc caſu ex argumento à contrario ſenſu ſumto non reſultat iniquitas nec abſurdum. Nec etiam obeſt, quod per appellationem cauſſa reducitur ad eum ſtatum, in quo erat ante ſententiam, & c. Nam reſpondeo illud eſſe introductum in fauorem appellantis, vt eſt notum, quare huic fauori poterit idem renuntiare, *vt in iuribus vulgaribus*, & ſic licita erit hoc caſu concordia, *vt prædiximus*, non vero ante ſententiam: quia id fauore publice eſt prohibitum, &c.

SVMMARIA.

1 *Domus publica, vulgo* caſas de ayuntamiento dichas, *cuius expenſis fiat, vbi quod ex redditibus populorum fiat.*
2 *Carcer ædificari debet expenſis Reipublicæ.*
3 *Vincula, hoc eſt*, las priſiones, *cuius expenſis fieri debeant: vbi quod* à coſta de gaſtos de iuſticia, &c.

L. 15. titul. 6. lib. 3. Nouæ Collect. Regiæ.

QVÆSTIO XXXVI.

1 QVæro † circa *l. 15. tit. 6. lib. 3. Novæ Collect. Regiæ*, ibi: *Y ſi ay caſa de concejo, y carcel qual convenga, y priſiones: y ſi no las huviere, den orden como ſo hagan, cuius expenſis hæc fieri debeant?* Et primo, circa domum publicam, vulgo *caſas de ayuntamiento dichas*, videtur jure communi, quod expenſis publicis fieri debeat, ſi pecunia ſuperſit, alias ex proventibus fundorum publicorum, *vt tenet Lucas de Penna in l. final. C. à quibus muneribus nemini liceat, & c lib. 10. quæſt. 8. & Paris de Puteo in tracta. ſyndicatus, in parte, an ſi plures carcerati, n. 15 fol. 5(?)0. volum. 1. tractatuum diverſorum Doctorum.* Loquitur tamen in carcere reficiendo, *per text. in l. præterea, Cod. de operibus publ. melius in l. quæ operibus, C. eodem*, ſed contrarium in praxi eſt tenendum, nempe vt hęc domus publica fiat ex redditibus populorum, qui ad id ſunt deputati, vt probare videtur *l. 10. tit. 28. partita 3. in verſic. Mas los frutos*, ibi, *O en las otras coſas ſemejantes, & in l. 20 tit. 31. partita 3. & ita tenet Petrus Avend. in 1. parte, cap. 20. prætorum, nu. 2. idem in 2. parte, cap. 10. nu. 6. ad finem, & cap. 13. in princ. & Aviles in cap. 18. prætorum, in gl. ſe haga, nu. 1.* & ita conſului & vidi conſultum per alios Iuriſperitos & advocatos antiquos: quod ſatis vltra ſupradicta probatur *in l. 1. tit. 1. lib. 7. einſdem Collect. Reg.* ibi: *Ennoblecen las cividades y villas en tener caſas grandes y bien hechas, en que hagan ſus ayuntamientos e conceios*, & ibi: *Porende mandamos a todas las iuſticias, y Regidores de las cividades, y villas de nueſtra Corona Real, y a cada vna dellas, que no tienen caſa publica de cabildo o ayuntamiento para ſe ayuntar, de aqui adelante cada vna de las dichas cividades y villas fagan ſu caſa de ayuntamiento y cabildo donde ſe iunten, ſo pena, &c.* Et hanc opinionem ſequitur Doctor Azeved. *hic num 3 & ſequent.* qui *num. 8.* limitat vno modo, cujus limitatio ſit vera, necne, non examino.

2 *Circa carcerem, cuius expenſis fieri debeat?* Primo † videtur, quod fabricandus ſit expenſis fiſci, cum ſit inventus ad cuſtodiam delinquentium atque debitorum, *vt in l. aut damnum, §. ſolent, ff de pœnis, & in l. fi. C. de cuſtodia & exhibitione reor. cum ſimilib.* vnde eſt, vt expenſis fiſci miniſtretur juſtitia, *vt in cap. grandi, de ſuppl. negl. prælat. lib. 6 iuxta tradita per Cardin. in Clement. 1. §. ſane, nu. 2. de hæret.* vbi quod ad quem ſpectat cognitio principaliter delictorum, ad ipſum ſolum ſpectat habere carcerem.

Sed his non obſtantibus contrarium eſt tenendum, imo quod carcer ædificari debeat expenſis Reipublicæ, cuſtodia vero carceratorum ad Regem pertineat: quia ipſi Reipublicæ intereſt, vt malefactores in carcere cuſtodiantur, vt inde abducti publice puniantur, *vt in l. licitatio, §. final ff de publ. & vectigal & in l. ita vulneratus, ff. ad l. Aquil. & in l. 1 tit. 1. verſic. Que hagram pro part. 7.* quia ſicut expedit Reipublicæ, vt delicta puniantur: ita etiam verſatur eadem vtilitas publica in eo, vt delinquentes cuſtodiantur in carcere, cum ſit præambulum cuſtodia eorum ad punitionem ipſam. Ita etiam videmus, quod ſalarium prætorum ſolvitur de redditibus civitatis vel villarum, *vt probatur in l. 7. tit. 16. lib. 2. ordinam. veter. & tradit late Avend. lib. 1. cap. 10 prætorum, nu. 3. & 4.* & in terminis hanc opinionem tenet Paris de Puteo *vbi ſupra*, & eam de jure & conſuetudine probat Avend. *vbi ſupra d. cap. 20 1. part. n. 4. ad fi. & 5. & in 2. part. dict. cap. 10. n. 6 ad fi. & Aviles vbi ſupra* quod ego etiam vidi vſu obſervari, & in ſupremo Conſilio ita fuit determinatum his diebus in lite, *entre la villa de Llerena, y las villas de ſu governacion.* Quid quid in contrarium velit Doctor Azeved. *in præſenti, n. 8.* vbi aſſerit, quod dicta in hoc ab Avend. de carcere conſtituendo, non ex toto ſibi applaudunt, refertque Iulium Clarum adverſus Avendan. dicentem, in multis locis ſervari contrarium: nam hoc non obſtante, de jure & conſuetudine noſtra hæc ſententia verior eſt & tenenda, nempe quod carcer ædificari debeat expenſis Reipublicæ. Idem in ædificatione vecariæ, quam vulgo *carniceria* appellamus, & in fabrica domus quæ appellatur *peſcaderia*, vt expenſis communibus fiat, tenet Avend. *d. lib. 2. c. 10. n. 7.*

Quoad † vincula vero (hoc eſt, *las priſiones*) *de quibus e-* 3
tiam noſtra lex loquitur, eſt etiam dubium, cuius expenſis fiant? Et videtur quod expenſis Reipublicæ eadem ratione, qua & carcer, vt ſupra eſt dictum, ſed in his vinculis video conſuetudine introductum eſſe, *vt a coſta de gaſtos de iuſticia ſe hagan*, vel his deficientibus ſolent judices aliquam partem condemnationum delinquentium ſpecialiter pro his vinculis conficiendis applicare.

SVMMARIA.

1 *Sententia lata à iudice* de alcance, *an ſtatim debeat exſequi, non obſtante appellatione, affirmative reſolvitur.*
2 *Hoc non procedit, quando calculatio non eſt facta à iudice, ſed per quoſdam alios computatores à partibus nominatos quia tunc computatio talis non poteſt mandari exſecutioni, niſi per iudicem confirmetur.*
3 *Praxis procedendi à iudice, ſuper calculatione facta per calculatores nominatos à partibus.*

L. 22. tit. 6. lib. 3. Nou. Collect. Regiæ.

QVÆSTIO XXXVII.

QVæro † *circa l 22. tit. 6. lib. 3 Novæ Collectio. Reg.* ibi: 1
Eſten fenecidas las eventas, y exſecu tados los alcances, an lata ſententia dicta de alcance, à iudice, hoc caſu ſtatim debeat exſequutioni mandari, non obſtante appellatione? Et videtur quod non: quia appellatione pendente, nihil novari debet, *vt in l. 1. ff. nil novari appellatio pend. cum ſimilibus*: potuit enim adminiſtrator Reipubl. (hoc eſt, *mayordomo de la ciudad, villa, o lugar*) gravari in calculatione, & ſic tolleretur ei defenſio: ſed nihilominus contrarium eſt tenendum hoc in caſu, quia prædicta ſententia exſequetur, non obſtante appellatione, & ſoluto reliquo (hoc eſt *el alcance*) audietur in appellatione, *argumento optimi text. qui ad id videtur expreſſus in authent. de ſanctiſſ. Epiſcopis, §. Oeconomus, col. 9.* vbi loquens textus in œconomis piorum locorum, reddentibus rationem ſuæ adminiſtrationis coram Epiſcopo, inquit, quod exſigatur ab eis, quod ex ipſis debentes oſtenduntur. Si vero putaverint ſe gravari poſt repetitionem, hoc eſt, redditionem, Metropolitanus cauſſam examinet, non enim conceditur eiſdem ante exactionem debiti proprios Epiſcopos declinare & ad alia venire judicia *vbi gloſſ verb. repetitionem, hoc expreſſe notat, dicens eſſe ſpeciale hoc caſu: & poſt eam Angel. ibi, & Maranta de ordine iudic. 6. part. titul. de appellatione, numer 187 pagin. 592. & Petrus Duennas, regul. 42. limitatione 21. & alios allegans Lancellot. de attentat. 2. part. capit. 12. limitat. 19.* & in terminis noſtris hanc ſententiam probat Doctor Didac. del Caſtillo *in l. 27. Tauri, in tractat. de cuentas, quem poſuit ſuper gloſſ. verb. De reſtitucion litera E, numero decimo ſeptimo, verſicul. & nota quod calculatores*, vbi quod facta computatione per calculatores, & ſententia lata per judicem, qua approbat & confirmat prædictas computa-

tiones, illa ſententia pro reſiduo exſequutioni mandatur nec admittitur contra eam appellatio, niſi facta prius ſolutione, *vt in dict. §. Oeconomus*, quem auctorem referunt & ſequuntur *in ſpecie huius l.* Avendan, *2. part. cap. 10. præt. n. 37.* Aviles *in cap. 30. in gl. ſaga pagar, n. 3.* vbi
2 *n. 5.* limitat. † quando calculatio vel computatio non eſt facta per judicem, ſed per quoſdam alios computatores à partibus nominatos, quia tunc talis computatio non poteſt mandari exſecutioni, niſi per judicem confirmetur, ſecundum Caſtellum vbi ſupra, *per text. in l. inſtar, C. de iure fiſci lib.* 10. niſi calculatores ſint poſiti & nominati à judice, vt calculentur & competent, quia tunc ſua computatio facit plenam fidem & exſequutioni mandabitur, *vt in l. 2. Cod. de vſufruct. leg.* tenet vtrumque Caſtellus *vbi ſupra quæſt. 4.* & Montaluus, quem refert etiam Aviles *vbi ſupra, noviſſime Doctor Azevedo hic, n. 3. & ſequent.*

3 Quibus addendum eſt, † quod quando calculatores ſunt nominati à partibus & faciunt calculationem & computationem, praxis procedendi eo caſu hæc eſt, vt judex ſtatim cum ſibi præſentatur dicta calculatio à prædictis facta, antequam eam approbet vel confirmet, recipit ab eis juramentum ſuper rectitudine atque fidelitate dictæ calculationis, poſtea præcipit copiam exhiberi ejuſdem partibus, vt intra certum, brevem tamen terminum ab eodem aſſignatum, dicant adverſus eam ſi quid habent, quod ſi non dicatur, approbatur à judice calculatio, & aſſignat terminum ad ſolvendum reliquum: quo tranſacto, ſolutione non facta, exſequutio fit: de qua praxi teſtatur etiam Azevedo *hic*: ſi vero dicatur contra rationes ab vtraque, vel altera partium, adhibetur cauſſæ cognitio, & profertur ſententia probatoria, ſi opus fuerit, & fit concluſio ſuper gravaminibus, partéſque citantur ad ſententiam diffinitivam audiendam, quam profert judex approbando & confirmando, vel emendando & revocando in totum vel pro parte dictam calculationé, provt jus & juſtitia dictaverit ex actis cauſſę: & ab hac ſententia locum habet appellatio, cum ſit via ordinaria, non vero exſequutiva, provt eſt exſecutiva in caſu *noſtræ legis*, iſtorum vltimo caſu *ſupradicto*, procedit *d. lex 1. ff. nil novari, cum ſimilibus*, & ita vidi ſæpiſſime practicari. Sed jam omnia prędicta, quoad appellationem ſuſpenſivam tantum ceſſare videntur, *por el noevo capitulo de Cortes, del anno de* 83. *y* 85. *quod eſt cap.* 49. per quod jubetur, *que los alcances hechos por los Contadores de conformidad, ſiendo confirmados por ſentencia de iuez competente, ſe executen ſin embargo de appellacion, haziendo obligacion y dando fianças la parte en cuyo favor ſe diere, que reſtituyra con frutos y rentas, ſi ſe revocare*: ſicut in exſequutione ſententiæ arbitrariæ deciſum exſtat *per l. 4. lib. 4. Recop.* Sed an procedat dictum capit. *de Cortes en las liquidaciones que ſe hazen de contratos, o executorias, y para liquidar lo no liquido, ſe ponen Contadores*: credo
* quod non: cogita. * Sed contrarium eadem ratione videtur dicendum, vt jure probat Parladorius *lib. 2. rerum quotidianarum, cap. final. 1. part. §. 12. nu. 33.* cujus tamen opinio accipienda eſt, judice approbante liquidationem, ſicut calculationem confirmare debet, *iuxta dict. capitul.* cujus non meminit Parladorius, *vbi ſupra.*

SVMMARIA.

1 *Reſtitutio an concedatur minori, Reipublicæ vel Eccleſiæ, adverſus locationem rerum ſuarum, eo quod* fecho el remate, *maior vtilitas offeratur, & n. ſeq.*

2 *Verior & communis reſolutio negativa ponitur in præcedenti quæſtione, quibus intervenientibus, & his deficientibus contrarium affirmatur.*

3 *Pactum inſolitum appoſitum in conductione rei fiſci, non eſt ſufficiens motivum, vt concedatur reſtitutio.*

4 *Communis ſupra poſita reſolutio limitatur, quando magnum & maximum commodum offerretur, poſt vltimam licitationem.*

5 *Reſpublica in hoc ſemel reſtituta, non debet iterum ad idem reſtitui.*

6 *Veteres conductores eo caſu quo Reſpublica reſtitui debeat ſi tantum offerant, quantum novi, præferri debent novis.*

7 *Prior conductor illæſus ſervari debet in ſententia, eo caſu quo reſtitutio prædicta locum habeat.*

8 *Eadem ratione novus conductor petere poterit lucra, ſi quæ præceſſerunt ex illa obligatione.*

9 *Durante lite ſuper huiuſmodi reſtitutione & admiſſione, ſolent iudices iubere,* que aya cuenta y razon por Romana, &c.

L. 23. titul. 6. lib. 3. Nouæ Collect. Regiæ.

QVÆSTIO XXXVIII.

Quæro † circa *l. 23. tit. 6. lib. 3. Novæ Collect. Regiæ,* 1
vbi: *Y hagan por manera que tengan libertad enteramente de puiar, e arrendar las dichas rentas e impoſiciones quien quiſiere, ſin tenor alguno: an ceſſante conſuetudine, pacto vel ſtatuto, de adiectione admittenda in locatione bonorum civitatum, vel aliarum vniverſitatum & conciliorum populorum ſaltem in integrum reſtitutio poſſit peti adverſus locationem, ex eo quod fecho el remate, de novo maior offeratur vtilitas Reipublicæ: quod ſolet ſæpiſſime in praxi accidere in locatione Del baſtecimiento de carnicerias, & ſimilium rerum, quarum Reſpublica habet curam & adminiſtrationem?* Et primo videtur, quod ſi lucrum offeratur, concedatur hoc caſu reſtitutio Reipublicæ: nam minor & reſpublica æquiparantur, *vt in l. Rempublicam, C. ex quibus cauſſis maior.* & vtrique conceditur reſtitutio, *vt in l. final. & ibi Doct. C. de iure Reipubl. lib. 10. l. 10. titul. 29 part. 6.* ſed præter novam licitationem, quæ offertur, conceditur minori reſtitutio in integrum adverſus contractum locationis vel venditionis, *vt eſt text. expreſſus in l. etſi ſine, §. quæſitum, ff. de minoribus, & in l. 5. verſic. Otroſi dezimos, titul. 29. partita 6.* Idem videtur dicendum in Republica, quæ eſt æqualiter privilegiata, & per text. *in dicto § quæſitum,* in minore *ita tenet Bartolus in l. licitatio, in princ. nu. 5. de publ. & vectigal.* & generaliter loquens in perſona, per quam poſſit peti in integrum reſtitutio, quod eam impetrare poſſit, vt majus tempus apponatur in licitatione, *per dictum, §. quæſitum,* tenuit idem Bartolus *in l. ſi tempora, nu. 7. C. de fide inſtrumentorum, & iure haſtæ fiſcalis, lib. 10.* quibus in locis exiſtimat, ſecus eſſe regulariter in minoribus, quoties aliquis obtulerat, in primo termino, cui jus erat quæſitum, quia tunc poſt lapſum dicti termini non poſſet de novo fieri præconium & dari alia dilatio, nec admittitur alia adjectio: quam etiam opinionem in omnibus ſupradictis tenet cum alijs Aviles *in cap. 23. prætorum, in gl. de puiar, nu. 8. & ſequent.* vbi *nu. 11.* inquit: hoc facere ad iſtas baxas ſeu diminutiones *de las carnicerias, y peſcaderias y panaderias* quia licet ſit jam lapſus terminus banni, & ſic *hecho el remate*, ſi alius pretium diminuit, & ſic *baxa*, admittitur diminutio, & iterum præconizatur, vt diminuenti detur, dicens, ſic plures feciſſe, & quod fuit ſuus juſſus in Cancellaria confirmatus, quia eſt vtile Reipublicæ. Hæc ille.

His tamen † omnib. non obſtantibus, contraria ſen- 2
tentia verior eſt, communis & tenenda in praxi, nem-

pe quod ſi minor, ciuitas, Reſpublica, fiſcus vel Eccleſia in locatione vel venditione rerum ſuarum, bona fide vſa eſt & ſeruavit ſolemnitates debitas à iure vel cõſuetudine requiſitas, fecitque ſicut quilibet maior, quia vendidit tẽpore opportuno & iuſto pretio, tunc licèt alius plus offerat *deſpues del remate*, nõ reſtituitur, niſi ex noua cauſſa ſuperueniente cauſſetur læſio, vel de ſorde, colluſione, vel gratia doceretur: ſi vero debita ſolemnitas non eſt ſeruata, tunc ipſo jure non valet locatio vel venditio, & ſic non eſt opus reſtitutione, *in lib. 1. & 2. C. de fide inſtrument. & iure haſt. fiſcal. libro 10.* Si vero debita ſolẽnitas eſt ſeruata, ſed minor eſt læſus, Reſpublica, vel fiſcus ſui facilitate, quia vendidit tempore non opportuno, vel non iuſto pretio, reſtituitur: vt late deducit atque reſoluit Albericus de Roſat. *in dicto §. quæſitum, idem in l. 2. C. ſi in cauſſa iudic.* pro qua opinione negatiua eſt bonus text. *in l. Lucius, §. fin. ff. ad municip.* ibi idem reſpondit: ſi ciuitas nullam propriam legem habeat de adjectionibus admittendis, non poſſe recedi à locatione vel venditione prædiorum publicorum iam perfecta: tempora enim adjectionibus præſtituta, ad cauſſas fiſci pertinent, & quamvis illi text. i. forſan reſpondeatur, ne probet hanc opinionem, alio ſcilicet caſu loqui, nempe vt definat fieri contractus iam perfectus: in noſtro vero caſu valet contractus licet alteri plus, vel meliorem cõditionem offerenti detur. Secundo, quod text. ille loquatur & procedat mero jure: ſecus vero erit per reſtitutioné in integrum, vt in noſtro caſu: nihilominus tamen text. ille fortis eſt pro hac opinione, & ipſa adhuc vera eſt aliis fundamentis, vt conſtat ex Alberico *vbi ſupra*, vel eo præcipue, quia alias majus damnum verteretur Reipublicæ, ſi admitteretur prædicta adjectio, quam commodum ex ea ſequeretur: quoniam in poſterum non invenietur qui cum Republica velit contrahere, ſi poſt factam vltimam licitationem alius admitteretur, præcipue ſi prior inceperat ſeruiré ſuæ obligationi victualium, in qua forſan ſuas pecunias conſumpſerat: quare merito hãc ſententiam ſequutus eſt & probauit tanquam verioré Senatus Neapolitanus ſacrumq; Concilium ipſius, vt teſtatur Matthæus de Afflictis *deciſione 340. per totam*, vbi quod † pactum
3 inſolitum appoſitum in conductione rei fiſci, non eſt ſufficiens motiuum, vt detur reſtitutio: quia ſi ratio dictat, poteſt fieri pactum inſolitum in conductione, ſecundum Lucam de Penna *in l. 1. de paſcuis pub. lib. decimo*, eandem partem ita diſtinguens, ſequitur etiam Gregorius Lopez *in dicta l. 5. in gloſſ. Mas por ella, & Auendan. libro primo, capit. 19. Prætorum, numer. 35. columnn. penultim. in princip. folio 128. & latius idem capit. 12. numer. 9. & 12. libr. 2.* & nouiſſime poſt hæc ſcripta Doctor Azeuedo *in l. 2. titul. 1. libr. 2. Noua Collection. Reg. num. 13. & ſequentibus*, vbi *num. 16.* limitat, quando vltimus licitator eſſet talis, qui peſſime ſeruiret atq; male obligationé adimpleret, *vt ibi per eum* & iuxta hanc opinioné principalem negatiuam vidi ſæpiſſime cõſultum per graues viros, & ipſe ſecundum eã ſolitus ſum ſemper cõſulere cum ſuis limitationib. *ſupra* dictis, & aliis *infra* dicendis: & inquit Gregorius Lopez *vbi ſupra*, ſibi obueniſſe in facto hanc quæſtionem in cauſſa arduiſſima Regis, in qua obtinuit contra conductorem Regalium redditúum ſerici Regni Granatæ ex dictis Alberici *vbi ſupra*, quia locatio facta fuerat intempeſtiue & tempore non opportuno. Similiter & ego, cum eſſem aſſeſſor in ſimili cauſſa, quia non fuit ſeruata ſolemnitas requiſita à legibus huius Regni in locatione *del baſtecimento de la carniceria*, cujuſdam concilij circa præconia, annullaui prædictam locationem, & admiſi *la baxa* etiam poſt vltimam locationé, meuſque iuſtus fuit poſtea confirmatus in Regali Cancellaria Pinciæ, vt mihi fuit nunciatum. Non obſtat *dicta l. & ſi ſine, §. quæſitum, ff. de minor. cum l. Regia eidem concordante*: quia debent intelligi procedere in ſupradictis caſibus, nempe quando debitę ſolemnitates ſeruatæ non fuerunt, vel interceſſit fraus, colluſio vel gratia, vel quia minor fuit læſus vel Reſpublica, quia vendidit tempore non opportuno, vel non juſto pretio. In prædictis enim caſibus reſtituitur, alias ſecus, ſi debita ſolemnitas interveniat & ſeruata fuerit, *vt conſtat ex ſupradictis Doctoribus.* Non obſtat etiam *l. partitæ 5. titulo decimo nono, part. 6.* quia ipſa loquitur, quando eſt *gran pro del menor*: quare in quæ-
ſtione noſtra † ſi magnum & maximum commodum 4
offerretur *deſpues del remate*, bene admitteretur diminutio, *vt per dict. l.* in noſtris terminis probat Auendan. *in dict. cap. 12. num. 11. quem ſequitur Doctor Azeuedo vbi ſupra, numero decimo quarto*, quæ limitatio mihi placet, & ſecundum eam etiam ſemper conſului, quia alias, ſi non admitteretur magna diminutio, maximè læderetur Reſpublica, præcipue pauperes; quod non eſt permittẽdum. Quod autem dicatur magnum commodum in propoſito, vt ob id dicta reſtitutio concedenda ſit, relinquerem arbitrio iudicis, qui conſideratis omnibus circumſtantiis debitis, id æſtimabit, vt conſtat ex traditis in eiſdem propriis terminis à doctiſſimo Couarru. *libr. 1. variarum reſolutio. capitulo tertio, numero vndecimo.* Non tamen exiſtimet iudex quamcunque læſionem ſufficere, neq; ſufficere eam quæ aliàs ſufficeret ad impetrandam reſtitutionem, ſi in ipſo tempore contractus læſio interveniſſet: cum enim potius ex æquitate prædicto primo caſu reſtitutionem admittamus, quam ex juſtitiæ rigore, fit proinde, vt læſio multo grandior & grauior eſſe debeat, quam quæ ordinarie ſufficere ſolet ad reſtitutionem, quæ ex rigore juris poteſt impetrari: & caueant judices, ne in hoc errent, volentes ſe nimis officioſos Reipub. oſtentare concedentes reſtitutionem, y admitendo las baxas faciliter.

Illud † autem aduertendum eſt, quod Reſpublica ſe- 5
mel in hoc reſtituta non debet iterum ad idem reſtitui, *vt per totum titulum, C. ſi ſæpius in integr. reſtit. poſtuletur*, provt in terminis tenet Auiles *vbi ſup. nu. 13.*

Secundo, † quod eo caſu, quo reſtitui debet Reſ- 6
publica, ſi veteres conductores tantum offerant & dare velint, quantum offertur per nouos, præferuntur nouis, *per l. fin. & l. congruit, C. de locat. fund. ciui. libr. 11. ex ratione l. cotem ferro, §. fin. ff. de pub. & vectigal. ſecundum Alberic. dict. l. 2. C. ſi in cauſſa iud. quem ſequitur Gregor. Lopez vbi ſupra, & tenuit Rebuff. in compend. alienat. rerum Eccleſiaſt. num. 62. ad fin. Doctor Azeuedo vbi ſupra, nu. 11.* Et ita ſi antiquis conductoribus expedit hoc offerre, aduocati eorum ſint cauti, & id offerant in eodem iudicio, ſaltem ſine præjudicio ſui juris, vt obtineant.

Tertio, † quod eodem caſu, quo reſtitutio prædict. 7
locum habeat in eadem ſententia, iubetur (ſi tamẽ id petatur à parte) prioré conductorem ſeruari illæſum & indemnem, nempe vt ea, quæ emerat pro illa locatione vel obligatione explenda eiſdem pretiis quib. ea comparauerit, ſcilicet, ab vltimo cõductore ſumantur & inſuper expenſæ ſoluãtur, ita vt omnem iacturam patiatur nouus licitator: imo & antiqui cõductoris laboris in ipſius rei cura & adminiſtratione impẽſi rationem habendam eſſe cenſerem, vt ſibi quod juſtum fuerit, ob id ſoluatur, *argumento eorum quæ in ſimilibus terminis tradit Couarru. libr. 1. variarum reſolut. cap. 3. numero tertio*, ne alias remaneat in damno primus cõductor vſus bona fide: alioqui ſi fraudulenter principaliter quid egerit, vt aduerſariũ cogat ſuo jure carere, & vt ei aditum recludat, ad hujuſmodi locationis

retractum ſimulatione, ſcilicet contractum, vel alias, videns ſibi ſumtuoſum & difficile nimis fore priorem conductorem indemnem ſeruare,idq; conſtiterit, ſua fraus ſibi non patrocinabitur in hoc *iuxta late tradita in materia retractus per Tiraquell.de vtroq; retractu,in præfatione,num 67. & ſequentibus*:ſecus vero ſi non principaliter in fraudem fecerit, ſed vt ſibi proſpiceret, ne aliud forte damnum indebite pateretur, *ſecundum Tiraquell. vbi ſupra, nu.77.*

8 Eadem † ratione nouus licitator petere poterit, vt ipſi reddantur lucra, ſi quæ proceſſerunt ex illa obligatione, *vt aduertit Doctor Azeuedo vbi ſupra, num.16.* Hoc tamen intelligo volente primo licitatore damna petere & expenſas & ſui laboris mercedem : nam ſi vellet plane deſiſtere à jure ſibi competente , aliud profecto eſſet.

9 Durante † vero licite ſuper hujuſmodi reſtitutione & admiſſione dict. diminutionis,præſuppoſito,quod primus licitator ante ſententiam non eſt ſpoliandus ſua poſſeſſione,ſi eam habet,ſolent judices jubere *Que aya cuenta y razon por romana de la carne que ſe peſa y vende*,& ſic de ſimilibus obligationibus ſuper quibus cõtenditur , vt in aduentum quod reſtitutio vel diminutio locum habeat exceſſus, ſatisfiat vicinis meliori modo quo poſſit, nempe diminuendo poſtea tantundem à pretio ſic diminuto, quo poſtea carnes & cetera vendentur,admiſſa reſtitutione ſiue taxa.

SVMMARIA.

1 *An officialis lata ſententia aduerſus eum ſuſpenſionis vel priuationis in ſyndicatu , a qua legitime appellauit, poſſit illud exercere pendente legitima appellatione, & numeris ſequentibus.*

2 *Suſpenſio officialium durante ſyndicatione ideo fieri permittitur, non in pœnam ſed vt libere informatio in ſyndicatu fieri poſſit , & teſtes dicta ſua proferre audeant , & partes querelas proponere, quod alias facere minime auderent.*

3 *Epiſcopus depoſitus appellans remanet in officio ſuo.*

4 *Ille qui priuatur ab honoribus futuris etiamſi appellet, ad noua officia eligi vel aſpirare non poteſt.*

5 *Officialis condemnatus,etiam appellans in ſuis officiis quæ curſu temporis conſumuntur , non eſt ſuſtinendus in eis quia alias illuſorium eſſet iudicium.*

6 *Tabellio,vel notarius ſecularis priuatus vel ſuſpenſus ab officio ſuo per ſententiam diffinitiuam, appellans, interim pendente appellatione poteſt exercere officium ſuum.*

7 *Sententia per appellationem eſt ſuſpenſa & exſtincta, & quomodo hoc intelligatur.*

8 *Notarius antequam damnetur de falſo , pendente proceſſu, poteſt inſtrumenta conficere licet honeſtius faciat ,ſi interim à novis inſtrumentis abſtineat.*

9 *Diminuitur tamen fides aliorum inſtrumentorum poſtea ab eo confectorum.*

10 *Notarius condemnatus de falſo inſtrumento à ſe confecto,cenſetur priuatus ab officio tabellionatus,ac proinde alia inſtrumenta conficere non poteſt,& nu.10.*

11 *Poterit tamen inſtrumenta cœpta perficere.*

12 *Si tamen tabellio à prædicta ſententia condemnationis de falſo appellauit,poterit appellatione pendente vti officio ſuo.*

13 *Lex 14 titul.7.libro 3. Noua Collection. Regia, intellectus.*

14 *Gloſſ. fin. in Auth. de armis , collatione 6. quæ tenet, quod ſi tabellio deliquit in officio , non debet à modo id exercere, intellectus.*

15 *Notarius condemnatus de falſo propter contumaciam , non perdit inſtrumentorum confectionem.*

16 *Epiſcopus tanquam Apoſtolicæ Sedis legatus,poteſt notarios examinare,eoſque poteſt perpetuo vel ad tempus prohibere.*

L.14.tit.7.lib.3.Nou.Collect. Regiæ.

QVÆSTIO XXXIX.

QVÆRO † circa *l.14.titul.7.l.3. Noue Collectio. Regie*,ibi : *Y ſi por la peſquiſa que ſobre ello hiziere,hallare alguno culpante, le ſuſpenda del oficio, y le de traſlado y auerigue la verdad, para que le pueda condeñar o abſoluer, &c. an habens aliquod officium de contentis in hac l. vel ſimilibus , lata ſententia aduerſus eum ſuſpenſionis vel priuationis eiuſdem in ſyndicatu , à qua tamen legitime appellauit, poſſit illud exercere pendente appellatione ?* 1 Et videtur quod non,*per hanc l.* nam illud verbum,*le ſuſpenda*, eſt cum effectu, ſiue appellet, ſiue non, & in terminis ita tenet Petrus Auendan. *libr.1. cap.19. prætorum, num. 15.* vbi tenet, quod privatus ab officio quod habet,illud exercebit pendẽte appellatione,niſi in ſyndicatu ſit officio priuatus;nam nõ poteſt illud exercere pendente appellatione:& hoc caſu ſententia ſyndicatus habet executionẽ paratam,*vt in capit.7. De los juezes de reſidencia (hodie tranſſumptive in noſtra l.14.* Hæc ille. Sed ſalua pace tanti viri , ipſe aberrauit in intellectu *d.c.7.* vel ſi mauis illũ intelligere in caſu,in quo tantũ loquitur *d cap.7.* nempe quãdo officialis in ſyndicatu ſuſpenditur ab officio ante ſententiam,quod fieri poteſt *ſi por la peſquiſa ſecreta pareciere culpado*,durãte lite, *vt in noſtro text.* quę ſuſpẽſio † ideo fieri permittitur,nõ 2 in pœnam,ſed vt libere informatio in ſyndicatu fieri poſſit & teſtes dicta ſua proferre audeant & partes querelas proponere, quod alias facere minime auderent,vt poſt alios refert Doctor Azeuedo *in l.1.num.16. & in hac l.14.num.3.titul.7.libr.3.Noua Collection.Reg.* vbi *numer.1.* inquit,quod durabit hæc ſuſpenſio tantum, interim dũ ſyndicator diffiniat cauſſam, vel abſoluẽdo vel condemnando, & lata ſentẽtia diffinitiua ceſſabit ſuſpẽſio,& ſtatim cenſebitur reſtitutio officij facta:ergo ſecus erit, ſi per ſententiam diffinitiuam latã etiam in ſyndicatu quis officio priuetur vel ad tẽpus ſuſpendatur,quia tunc per appellationem legitimam à prędicta ſententia interpoſitam ſuſpẽditur effectus ſentẽtiæ,& condemnatus appellatione pendẽte, poterit vti ſuo officio antiquo, cum nulla ſpecialitas hoc caſu inueniatur in priuato,vel ſuſpẽſo in ſyndicatu per ſententiam diffinitiuam in contradictorio judicio latam,vel in alio judicio,& ſic ſeruandum ius commune, *de quo in l.1. verſic.integer,ff. nil nouari appellatione pend.* cujus verba hæc ſunt : *Integer enim ſtatus videtur eſſe prouocatione interpoſita* : Ergo etſi abſtinere ordine iuſſus ſit & prouocauerit, eadẽ ratione poteſt cœtum participare,cum hoc ſit conſtitutum,& ſic iuris,ne quid pendente appellatione innouetur : idem probat *l.2.§.vltimo ff.de pœnis,l.qui à latronibus § ſi quis, l.eius.§.vltimo,ff.de teſtamentis,l.furti.§.1.ff.de his qui notantur infam.* Ex † quibus juribus infert eleganter gl. 3 *cum Tancredo in c.ſep. , verb. ſententia, de appellat.* quod Epiſcopus depoſitus appellans remaneat in officio ſuo,quia qui appellat,non dicitur condemnatus, quã gl. notandam exiſtimat ibi Abb. *num. 4* dicens communiter approbatam,*ſimilis in ſumma 8 q.4 ſequitur alios allegans Couarru.lib.1.variar.reſolut. c.16. nu 11. ad fin.* quam ſententiam in noſtris terminis aduerſus Auend vbi ſupra probauit nouiſſimè & latè poſt hæc ſcripta D. Azeuedo vbi ſupra. Sed conſiderandæ ſunt *l.12. tit.5. lib.3. Recopil. & l.16. tit.23. lib.4.* quæ diſponunt , *en los juezes y alguaziles reſidencia dos* quid ſit faciendum.

Ille † vero qui priuatur ab honoribus futuris, etiãſi appellet,ad noua officia eligi vel aſpirare nõ poteſt, 4 *vt in l.reus delatus, §.vltim.ff.de muner.& bonor.quod late probat alijs iuribus & ratione Covar d.nu.10.per totum , & ſequitur Avend.vbi ſupr.& Aviles d c.7.ſyndicatus, in gl. ſuſpendo,n.3.fol.273.*

5 Sed ſupra † dictam tenendam ſententiam, quæ habet,quod condemnatus per ſententiam diffinitivam, à qua appellavit,poteſt appellatione pendente vti officio quod habet debet limitari, prçterquã in alijs officijs,quę curſu tẽporis conſumuntur & pereunt,quia tunc deferri non debet hujuſmodi appellationi, ſi recte fuit pronuntiatũ: alias enim illuſorium eſſet judicium atq; ſententia : quia durante appellatione & ſic ſecũda inſtantia,finiretur tempus officij,& omnes officiales temporarij appellarent à condemnatione etiã juſta contra eos facta,cauſſãmq;appellationis prętenderent atque maxime deferrent, ad effectum, vt ipſa durãte gauderent officijs toto tempore quo ipſa durare deberent, ſi condemnati non fuiſſent:quare merito hoc caſu,ſcilicet,quãdo lis vertitur ſuper re,quæ tempore perijt , non eſſe deferendum præd. appellationi ſanxit *l.6.tit.18.in fi.lib 4.* quam cũ eſſem judex, practicavi in caſu à me poſito in quodam conſilio illuſtriſſimi D.Petri Ponce de Leon. quondam Epiſcopi Placen. quod eſt inter mea Conſilia , & obtinui in Regali Cancellaria Granatenſi, vt ibi dixi.

6 Ex † quibus omnibus infertur quod tabellio,vel notarius ſecularis privatus vel ſuſpenſus ab officio ſuo per ſententiam diffinitivam , & appellans , interim pendente legitima appellatione, poteſt exercere officium ſuum, quia eſt in poſſeſſione ipſius : nec ſententia quidquam obeſt , quia per appellationem eſt ſuſpenſa,*vt in cap.paſtoralis,§.præterea poſtulaſti,ad fi.de offic. deleg.l.fin.§.fin.C.de fide inſtrum.tradit bene Ant.Gom.in reg.4.Taur.nu.6 & iterum, 3.tom.C.de homicid.nu.69.*vbi

7 plura † jura allegat & tenet, quod per appellationem reducitur res ad ſtatum , in quo erat poſt litis conteſtationem ante ſententiam : quod procedit , præterquam ſi cauſſa appellationis ſit injuſta & illegitima, quia tunc non ſuſpenditur juriſdictio primi judicis, *vt cum alijs tradit deciſ.Pedem.5.nu.7.*appellatione enim legitima pendente,nihil eſt innovandum, *vt ſupra eſt dictum*:imo ſententia per appellationem exſtinguitur, *vt in l.1.§.fi.ff.ad Turpi.*per quem text.hæc eſt communis opin.*ſecundum Curt.Iun.in l.ſi idem cum eodem,§.fi.n. 8.ff.de iur.omn.iud.& Paul.de Caſtr.in l.tale pactum,§ 1.n. 6 ff.de pactis.& Ant.Gom.vbi ſupr.*ſed hæc jura ſunt conciliandа hoc modo, vt attento futuro ſtatu , ſententia per appellationem ſuſpendatur,& ita ſunt intelligenda jura primo loco allegata, & gl.*etiam in d.l.§.fi & in d.l.tale pactum, §.1.gl.magn.in princ.*At vero attento prçſenti ſtatu ſententia per appellationem exſtinguitur: ita eſt intelligendus tex.*in d.l.1.§.fi ff.ad Turpil.&communis opinio ſupra relata:* ita hanc totam diſtinctionem reſolvit eſſe veritatem Iaſ.*in d.l.tale pactum,§ 1.n.5.dicit communem Paul.Caſtr.vbi ſupr.* vbi Ioan.Oroſc.*n.26.*eam appellat magis communem : ſequitur etiam eandem reſolutionem plures Doct.allegans Alex.*in l.1 n.3 ff.de re iud.vbi n.4.bene ex hoc infert, & Covar.in pract.qu.c.23. num.1.*

Et in terminis tabellionis vel notarij condemnati in privatione officij poſt appellationem, quod non ſit ſuſpenſus & poſſit illud exercere , præterquam ſi delictum ſit notorium, & pœna eo caſu impoſita ipſo jure,tenet poſt alios,quos refert Doct.Azeved.*in d.l.1.n. 8.& ſequentib.*

8 Imo eiſdem † rationibus exiſtimat Bart.*in l.Barbarius Philippus, n.17.ff.de officio prætor. quem ſequuntur ibi plures allegantes,Iaſ.n.58 & Oroſc.nu.20. Del.in cap.fraternitatis, num.5.de heret.* quod notarius antequam damnetur de falſo, ſed pendente proceſſu, poſſit inſtrumenta conficere, *vt in l.ſi quis decurio, C.ad l.Corn.de falſ.* licet honeſtius faciat, ſi interim abſtineat à novis inſtrumentis, *eſt communis ſecundum Alex.in l.prætor,§.cogentur,n.6. ff.de edend. Iulius Clar.in pract.crimin.§.fi.quæſt.73.verſic. notarius condemnatus , ſequitur Paul.de Caſtr.conſil.113.n.1. in 2.part.conſ.probat late Doct.Azeved.in d.l.1.nu.9.& ſequentibus*, & noviſſime Ioan.Gracian.*in regul.447.n.2.* dicens eſſe communem reſolutionem : Diminuitur tamen & attenuatur fides aliorum inſtrumentorum poſtea ab eo confectorum , *ſecundum Paul. Caſtr.conſil. 205.quem refert & ſequitur Thom. Grammat.conſil.66.numer.35.*

Apud † pleróſque tamen auctorum *ex ſupradictis* hęc 9 ſententia eſt etiam communis , quod ſi notarius condemnatus eſt de falſo inſtrumento à ſe confecto , cenſetur privatus ab officio tabellionatus,ac proinde alia inſtrumenta conficere non poteſt , etiamſi expreſſe in ſententia non privetur illo officio , *vt in authen.de tabell.§.fi.* ſecus ſi delinquat extra officium.*ſecundum Bar. in l.ſi quis ex argentarijs, §.cogentur, ff de edend.receptum ſecundum Oroſc.ibi nu.4. ſequitur plures referens Felin. vbi ſupra,nu.4.& 6.*Imo † & poſt condemnationem de falſo in officio poterit inſtrumenta cœpta perficere.*gloſſ.* 10 *in authent.de tabell.§.antepenult.verb.documentis. Iaſo.plures referens vbi ſupra, n.58.Item Felin vbi ſupra, nu.12 quibus in locis alijs modis limitant ſupra dict. communem ſententiam , ſequitur etiam Doct. Didac. Perez in l.1.titul.18. lib.2 Ordin.colum.639.* Et quod nova inſtrumenta conficere non poſſit , poſtquam fuerit notarius condemnatus de falſo , ante ſententiam vero ſic,tradit cum alijs Ioan.Matienc.*in l.2.gl.5.n.3.tit.2.lib.5.Nova Collect. Reg.*

Hoc † tamen eſt intelligendum , quando ſententia 11 tranſivit in rem judicatam. Nam ſi legitime appellatum exſtitiſſet ab ea appellatione pendente , poterit tabellio vti officio ſuo, *vt ſupra eſt dictum, & in terminis tenet D. Azeved.vbi ſupr.in d.l.1.nu.17.& ſequentib.ſic intelligens Bart.relatum à Tiraqu.de pœnis temper.cauſſa, 58. num.8.*

Nec † doctrinæ Bart.*in d.l.Barbarius Philippus, nu.17.* 12 communiter receptæ, *vt prædixi nu.8.*obſtat *noſtra l.14. huius tit.7.lib.3.Nova Collect. Reg.in verbis ſupra relatis in initio huius quæſtionis*,quia loquitur *en feſineros, y procuradores y otros officiales de concejo* , qui per ſyndicationem apparent culpati , hi enim ſuſpendendi ſunt ab officijs , durante ſyndicatione prædicta, ratione ante dicta : at vero Bart.& communis loquitur in notario ſive tabellione publico accuſato vel inquiſito de falſo, qui quidem non eſt nec dicitur officialis de cõcejo, & noſtra l.non eſt extrahẽda à ſuo caſu, in quo loquitur, nec ad alias perſonas extendenda.Poſſet tamẽ habere locum ipſius diſpoſitio *en eſcrivanos de Concejo*,appatẽtibus culpatis ex ſyndicatione:nam ipſi poſſunt dici *eſcrivanos de Concejo*,ac per conſequens ſuſpendi à ſuis officijs durante ſyndicatione:at vero ceteri notarij & tabelliones publici *del numero*,cum non ſint de concejo, nec in ſyndicatione, nec extra, pendente proceſſu ſuſpendendi ſunt ab officijs ſuis, antequam damnentur de falſo,& ſententia tranſierit in rem judicatam.

Non † etiam obſtat,& ſecundo ſupra dictæ ſenten- 13 tiæ Bart.communiter receptæ *in d.l Barbarius,nu.17 gl. fi.in auth.de arm.collat.6.* quæ dicit:Nota quod ſi tabellio delinquit in officio, non debet à modo hoc officiũ exercere : cujus ratio poteſt eſſe, vt in eo puniatur, in quo delinquit,*vt in c.an ſit,de appell.&in cap.nullus Epiſcop.de temporib.ordin.lib.6.*quia gl.illa eſt intelligẽda loqui,quando tabellio eſt perpetuo depoſitus ab officio: quia dicitur cum infamia exſtinctus, & nũquam redit ad illud,& non poteſt denuo creari tabellio.*ſecundum Bald.in c.at ſi clerici,in princ.num.10.de iudic.* vbi prædi-

ctá gloſſ.ad hoc appellauit ſingularé:& hoc intelligit verum, ſi tabellio eſt depoſitus propter enorme delictum, putà quia commiſit falſum in officio : ſecus ſi propter minus delictum, putà quia percuſſit aliquem cum armis, vnde contracta eſt infamia, & ideo merito fuit ab officio remotus, *vt notatur in lege ſecunda §. miles, ff. de infamib.* tunc enim Epiſcopus, qui condemnauit, diſpenſare poteſt ſuper officio tabellionatus exercendo: ſic etiam intelligendus eſt Didacus Perez, *qui ſup. d. gloſſ. allegauit in l. fin. tit. 13 lib. 2. ordin. col. 536. & ſeqq. ſentit idem in l. 7. tit. 14. eiuſd. lib. col. 548.* Superiora tamen intelliguntur, *vt prædixi*, quando ſententia depoſitionis ab officio tranſiuit in rem iudicatam.

14 Si vero † notarius condemnatus ſit de falſo propter contumaciam, non perdit inſtrumentorum confectionem, vt cum aliis reſoluit Rolan. à Val. *conſ. 31. n. 13. lib. 1. & conſ. 19. n. 27. & conſil. 94. n. 16. lib. 3.*

15 In aliis † autem notariis ſpecialiter cauetur in Sacro ſancto Concil. Trid. *ſeſſion. 22. cap. 10. de reformidatione.* vt ſiue Apoſtolica ſiue Regia auctoritate creati fuerint, poſſit Epiſcopus etiam tanquã delegatus Sedis Apoſtolicæ examinatione adhibita, eorum ſufficientiam ſcrutari, illiſque non idoneis repertis aut quãdocunque in officio delinquentibus officij eius in negotiis, litib. & cauſſis eccleſiaſticis ac ſpiritualibus, exercendi vſum perpetuo aut ad tẽpus prohibere, nec appellatio eorum interdictionem ordinarij ſuſpendet. Superioribus non obſtat quod tradunt Marant. *de ordin. iudic. 3. part 6. partis principalis, num. 193. & Petrus Duennas in regul 41. nu. 18.* quos & alios refert & ſequitur Lancellot. *de attent. 2. part. cap. 12. limit. 10.* nempe quod ſententia lata contra officialem in Syndicatu, non ſuſpenditur per appellationem, hæc enim in noſtro Regno eſt alia materia, *de qua in l. 17. titul. 7. lib. 3. Nouæ Collectionis, Regiæ vt conſtat ex Petro Duenna vbi ſupra*, Maranta etiam loquitur de alia pragmatica ſui Regni.

SVMMARIA.

1 *An ſententia lata contra iudicem in Syndicatu debeat prius exſequi contra ipſum, quam contra eius fideiuſſores, etiamſi renuntiatum fuerit beneficio excuſſionis. Reſoluitur affirmatiuè.*

2 *Hoc limitatur, ſi renuntiatum fuerit beneficio excuſſionis & omnibus aliis beneficiis.*

L.17. titul.7. lib.3. Nouæ Collect. Regiæ.

QVÆSTIO XL.

1 QVÆRO † circa *l. 17 titul. 7. lib. 3. Nouæ Collect. Regiæ*, ibi, *Y otro ſi que haga executar las ſentencias que diere contra el Aſſiſtente, o Gouernador, o Corregidor, o ſus oficiales. An hæ ſententiæ debeant prius exſequi contra ipſos principales, quam contra eorum fideiuſſores, ſi renuntietur beneficio excuſſionis?* Et videtur quod non, ſed contra quemlibet eorum poſſint à principio exſequi, iuxta communem reſolutionem à me traditam *in tractatu de iuramento confirmatorio, prima parte, cap. 23. numer. 21.* Sed nihilominus contrarium eſt tenendum in hoc caſu, imo quod etiam intercedente prædicta renuntiatione excuſſionis, exſequutio prius facienda ſit contra principales, quam contra ipſorum fideiuſſores: & hoc vnico, vrgentiſſimo tamen fundamento : quoniam fideiuſſor pro Magiſtratu videtur fideiubere in eo, quod deerit ex eius facultatibus, ſicque videtur eſſe fideiuſſor indemnitatis, *textus eſt in leg. 4. §. fin. ibi. poſtquam res ab eo ſeruari non potuerit, ff. de adminiſt. rerum ad ciuit. pertinen.* Sed fideiuſſori indemnitatis, vel in eo, quod à debitore principali exigi non poterit, non nocet renuntiatio à ſe facta beneficij excuſſionis, quia ipſa excuſſio ex natura contractus fideiuſſionis eſt neceſſaria : quia iſte non eſt obligatus, niſi conditione purificata : quapropter illam minimè tollit renuntiatio, *vt in leg. fin. in princ. ff. ſi certum petatur, & ibi. gloſ. & Doctor. præcipuè Angel. & Decius num. 8. & 9. poſt Iaſ. ibi: text. in leg. 2. C. de fideiuſſor. tutor. & tenet Alexand. conſil. 29. num. 34. lib. 7. Hippolytus in rubrica, ff. de fideiuſſor. num. 314. Petrus Duennas in regula 335. ampliatione, 1. Roderic. Suar. in leg. 2. tit. de los emplazamientor. lib. 2 for. num. 7. & ſequentibus, eſt communis ſecundum Decium vbi ſupra, num. 19. dixi, vbi ſupra, nu. 22.* Ergo idem dicendum eſt in fideiuſſore Magiſtratus ſuorumque officialium, vt quamvis renuntiauerit beneficio excuſſionis, illo nihilominus ſe iuuare poſſit, atque in terminis ita tenet Roderic. Suarez *vbi ſup. nu. 11. ſequitur alios allegans Auil. in c. 10. Syndic. in gloſ. appel. n. 4. dixi vbi ſup. nu. 23.*

2 Hoc † tamen limitat Amedeus Caſtel. & eum referens ſequitur Auiles vbi ſup. quando renuntiatur beneficio excuſſionis & omnibus aliis beneficiis : quia tunc *ſecundum Doctor. in Authen. præſente, C. de fideiuſſore*, poterit fideiuſſor conueniri non excuſſo principali: Vnde, inquiunt ipſi, cũ hodie in inſtrumentis ita renuntietur, ſententia lata contra principalem, mandabitur exſequutioni aduerſus fideiuſſores, dummodo ſit lata intra tempus à ſtatuto præfixum, & petitũ ſit intra triginta dies: & ideo conſulunt, vt capiatur fideiuſſio late, vt dictis renuntiationibus comprehendat omnẽ cauſſam, & quod poteſtas & officiales promittant ſoluere omnem condemnationem, quæ fiet de ipſo Poteſtate & officialibus & familia, quomodocunque & qualitercunque, & ex quacunque cauſſa in dicto ſyndicatu, & etiamſi fuerit appellatum, quod per iudicẽ appellationis fuerit iudicatum : aliàs fideiuſſores nõ tenentur ad condemnationem factam per iudicem appellationis, *iuxta leg. Græce, §. poſt litem, ff. de fideiuſſor. & alia iura*, quam principalem limitationem ſequitur etiam Alexander *vbi ſupra dicto conſilio 29. numero triceſimo quarto, libro ſeptimo*, pro qua facit, quod tenet Hippolyt. *in dicta rubric. de fideiuſſoribus numer. 35.* vbi dicit quod per hanc clauſulam renuntiationis intelligitur renuntiatum omnibus exceptionibus in fauorem ipſius renuntiantis facientibus. De hac tamẽ limitatione dubitat *Iaſon in dict. leg. fin. numero tertio, ff. ſi certum petat.* & concludit, eam non eſſe veram Decius *ibi nu. 9.* quoniam ſi expreſſa & ſpecialis enuntiatio beneficij excuſſionis hoc caſu non nocet ipſi fideiuſſori : quia ipſa excuſſio ex natura contractus fideiuſſionis eſt neceſſaria, conſequens eſt, vt nec ipſa tollatur per adiectionem renuntiationis generalis aliorum omnium beneficiorum : nihilominus tamen in praxi credo receptam eſſe prædictam limitationem, prout vidi iudicatum ſecundum eam, vt retuli, *vbi ſupra, in dicto meo tractatu de iuramento confirmatorio, 1. part. cap. 23. num. 24. & 25.*

SVMMARIA.

1 *Iudices eorumque officiales, poſtquam ſteterint triginta diebus in loco principali iuriſdictionis in Syndicatu, an poſſint poſtea perpetuo in patria conueniri ſuper geſtis in officiis, & num. ſequent.*

2 *Cautela pro iudicibus, vt non poſſint in patria perpetuo conueniri.*

3 *Pro quibus poſſint poſt dictos triginta dies iudices conueniri.*

T.24. tit.7. lib.3. Nou. Collect. Reg.

QVÆSTIO XLI.

1 QVÆRO † circa *l. 24. tit. 7. lib. 3. Nou. Collect. Reg.*

ibi, *Mandamos que la haga de treynta dias, y no mas, an Magiſtratus & alij officiales iudicum, poſtquam ſteterint in loco principali iuriſdictionis triginta diebus in ſyndicatu, poſſint perpetuo in patria conueniri ſuper geſtis in officiis?* Et videtur primo dicendum, quod poſſint perpetuo conueniri in patria, *argumento noſtræ l. in verbis ſupra relatis, & infra*, ibi: *Sea tenudo de hazer reſidencia en el lugar principal donde tuuo el oficio, &c.* Nam hæc l. tantum præfigit terminum certum ad ſyndicatum faciendum in loco principali officij, in patria vero nullum terminum aſſignat, infra quem ſit petendum contra iudicem & officiales prædictos, quaſi innuat perpetuo peti poſſe, & in terminis ita tenet Bartol. *in l. datur, num. 6. ff. ad l. Iuliam repet.* vbi inquit, quod officialis forenſis, licet non poſſit conueniri in ciuitate, vbi adminiſtrauit officium, niſi tempore ſyndicatus, tamen in domo ſua poterit conueniri perpetuo & quandocunque pro delictis & exceſſibus, ſecundum naturam actionis, *vt ibi*, quam ſententiam ſequitur etiam Montaluus *in l. 6. gl. cincuenta dias, tit. 4 par. 3. & Doct. Perez in l. 6. col. 625. tit. 16. lib. 2. Ordin.*

2 Sed nihilominus † contrarium eſt tenendum, quãdo in loco officij facta fuiſſent proclamata, vt omnes, qui vellent petere, comparerent intra dictum terminũ triginta dierũ, & quod alias erunt excluſi, & poſt ea ita fuit pronuntiatum per iudicem ſyndicantem in contumaciam non comparentium, & abſolutus fuit officialis: nam hoc facto amplius contumaces non audiuntur, nec audiri debent etiam in patria, vt optimè probat additio Bart. *vbi ſupra*, ſic enim limitans eandem ſententiam probauit poſt alios, quos refert Anto. Gom. *3. tom. c. de delictis, num 23 ad finem*, dicens, ita quotidie practicari, tenet etiam alios allegans Auiles *c. 3. iudicum ſyndicatus, in glo. Pregonar. num. 11. fol 265. & iterum in forma præconij ſyndicationis, fol 282. colum 4. Auendan. reſponſo. 3. num. 5. & alios allegans Doct. Azeued in l. 23. num. 13. huius titul & libri, teſtatur communem alios referens Doctor Suarez de Paz in ſua praxi, in proœmio 8. part. 1. tom. num. 11.* Nec hic obſtat noſtra l. Regia in verbis ſupra citatis: quoniam ipſa non permittit, quod tacite ab ea colligere volebamus, nempe quod in patria poſſit perpetuo conveniri, nec enim id ſequitur ex aſſignatione & præfixione termini, quo iudices tenentur ſtare in ſyndicatu in loco officij: quinimo contrarium forſan potius, cum eos non arctet alio tempore vel loco querelis officij reſpondere. Vnde præcedentibus dictis præconiis & ſententia iudicis ſyndicatoris, non comparentes remanent merito excluſi virtute ſententiæ in rem indicatam tranſactæ, pro quo & conducunt verba *l. 3. titul. 9. infra eodem, lib.* ibi, *Finquen treynta dias deſpues enlos lugares do iuzgaren, para fazer derecho a todos los que uuieren recebido algun agrauio*, quare † bona cautela erit pro iudicibus, qui ſtant in ſyndicatu, vt faciant fieri dictũ proclama cum aſſignatione dicti termini in forma ſufficienti & cõſueta, & trãſacto dicto termino, accuſent contumaciã non cõparentium, & petãt eos pronuntiari vel declarari, *por nopartes*, atq; abſolui: doctrina autem Bartol. cõtraria poſſet procedere, quoties prædictum proclama factum non fuiſſet *modo ſupradicto*, nec iudex abſoluiſſet officiales in contumacia non comparentium, in quo vis noſtræ opinionis conſiſtit, *vt ex mente dictorum Doctorum aperte colligitur.* Adde quod noſtra ſentẽtia procedit etiam, quando in præconio comminatio apponitur, vt non comparentes in dicto termino triginta dierum, pro non partibus habebuntur, & ex tunc pro talibus pronuntiantur, *vt conſtat ex mente ſupradictorum*, & nouiſſime voluit alios allegans Doct. Azeued. *in l. 10. tit. 7. lib. 3. Nouæ Collect. Reg nu. 6. cum ſequen.* vbi *num. 8.* limitat omnia ſupradicta, quoniam poſt dictos triginta dies conſtaret de debito circa officiũ per cõfeſſionem ipſius iudicis, vel de aliis debitis contractis extra officium, puta pro reb⁹ commodatis vel mutuatis, de quibus legitimè cõſtaret. Idem pro delicto extra officium commiſſo, durãte tamen iure, actione vel accuſatione intentandi: item & quoties ab eo, qui ipſum in officio propoſuit, ſyndicatus eſt, *vt tenet Paris de Puteo & eum referens D. Azeu. in d. l. 23. nu. 14.*

SVMMARIA.

1 *An in terris magnatum & dominorum poſſit appellari ad Regiam Cancellariam, omiſſo medio, hoc eſt, tali domino, & nu. 2. reſoluitur affirmatiue.*

2 *Intellectus pragmaticæ de Guadalaxara, de hac re agentis.*

L.1. titul.1. libr.4. Nouæ Collect. Regiæ.

QVÆSTIO XLII.

1 QVÆRO † *an in terris magnatum & dominorum appellari poßit ad Regem Regiaſque Cancellarias, omiſſo tali domino?* Et videtur quod non, ſed quod ad ipſum dominum ſit primo appellandum, poſtea vero ab ipſo ad Regem, *in pragmatica de Guadalaxara 26. die Aprilis, anno 390. lata*, ibi: *Ordenamos y mandamos, que quando los vezinos y moradores en los lugares de los ſennorios ſe ſintieren por agrauiados de alguna ſentencia que diere el Alcalde, o Alcaldes, en que el derecho otorgue apelacion que apelen para ante el ſennor, o para ante el ſu lugartenente, que ouiere de oyr de ſus apelaciones*, & ibi : *Y ſi de la ſentencia, o del ſu Alcalde o Alcaldes ſe ſintießen agrauiados, que puedan apelar para ante nos, &c.* Quam pragmaticam & literam ipſius, quia non eſt impreſſoribus tradita, refert Auiles *cap. 38. prætorum in gloſſ. Ante nos, nu. 3 fol. 34.* vbi etiã commemorat plures Regias ſchedulas latas in obſeruantiam dictæ pragmaticæ directas Regalibus auditoribus, ne cognoſcerẽt deinceps nec admitterent appellationes à vaſallis prælatorum & Eccleſiarum ad dictos auditores Regios, niſi prius ſe præſentauerint ante dictos prælatos & alios dominos dictorum locorũ in gradu provocationis, vel coram ipſorũ iudicibus appellationis, ac ipſi iudices ante ſententiã protulerint in dicto gradu appellationis, & ab eis appellatum fuerit. Tandem inquit, quoſdam intelligere *d. l. Guadalaxara*, quãdo appellatur à iudicibus ordinariis poſitis & electis per dictas villas & loca: ſec⁹ quando ponuntur per dictos dominos: ipſe tamen relinquit ſuper hoc vltimo cogitandum.

2 His tamen † non obſtantibus, contrarium eſt tenẽdum, imo quod poſſit in ſupra dicto caſu appellari ad Regem omiſſo medio, *per l. 1. titul. 1. libr 4. Nouæ Collectio. Regiæ* ibi, *Y otro ſi que no ſean oſados de impedir ni eſtoruar las alçadas y apelationes que los vezinos y moradores de todos y qualeſquier lugares de ſennorio y otros qualeſquier que quiſieren alçarſe, y apelar, ſintiendoſe por agrauiados delos ſennores dellos, o de ſus Alcaldes y iuezes para ante nos, è nueſtras audiencias: y no les hagan mal ni danno alguno por eſta razon : ca nos os comamos ſo nueſtro ſeguro y amparo.* Secundo *per l. 18. titul. 23. p. 3.* ibi, *Onde ſi alguno ſe agrauiare del iuyzio quele diere aquel que ha de iuzgar todos los pleytos de alguna villa, e ouiere alçada a otro iuzgador a otro lugar, alli deue yr primeramente. E ſi ſe ſintiere agrauiado de lo que alli le mandaren, puede ſe alçar a otro mayoral, ſi lo hi ouiere, que aya poder de iuzgar, y deſpue, al Rey Pero ſi alguno quiſieſſe luego tomar la primera alçada para el Rey ante que paſſaſſe por los otros iuezes, dezimos que bien lo puede fazer.* Nec obſtat *dict. pragmatica de Guadalaxara* : quia procedit, niſi quis vellit appellare ad Regem omiſſo domino, & ſic intelligitur iuxta diſpoſitionem *dict. l. 1.*